continet spacium · xxiiij · horarum · vnde includit diem et noctē Aliquando pro die artificiali qui est latio solis super terram · Loquendo ergo de die artificiali sic xps fuit mortuus vna die integra · scilicet die sabbati & duabus noctibus integris · scilicet precedente die sabbati & sequente · & adhuc plus · scilicet per quandam partem ferie sexte · sic loquitur Aug⁹ · s̄ · & glo · Ro · vi · que dicit · quiemit in sepulchro vna die & duabus noctibus · quia nostram duplicem vetustatem sua simpla cōsumpsit · ¶ Si vero loquimur de die naturali sic accipiendo partez pro toto fuit mortuus tribus diebus & tribus noctibus · sicut dicitur Math · xij · Illa enim pars diei passionis cristi a nona & deinceps computatur pro vna tota die naturali cuius est pars · vnde computatur pro vno die artificiali & pro vna nocte · ¶ Similiter nox post sabbatum cōputatur pro tota die naturali sequenti · & sic computatur pro vna die · & pro vna nocte artificiali quibus sic coniungatur vna dies integra · s · dies sabbati · et vna nox integra · s · nox precedens inuenitur q̄ xps fuit mortuus tribus diebus & tribus noctibus · ¶ Ad quartā responsio patz ex dictis · ¶ Ad quintam rn̄detur q̄ xps dicitur resurrexisse in crepusculo quando adhuc est lux tenebris permixta · & ideo aliquādo dicit̄ q̄ resurrexit in die · aliquādo in nocte · dicitur autem in euāgelio pn̄ti · orto iam sole · nō est sic accipiendum tanq̄ sol ipse videretur super terram · sed tanq̄ eo proximo veniente in has partes vt dicit sanctus Tho ·

AD terciā · q · in qua queritur · vtrum totus sanguis xp̄i qui in passione eius effusus est pro humana redēptione ad corpus eius redierit in resurrectione · & videtur q̄ non · ¶ Primo sic · in aliquibus ecclesijs sanguis xp̄i dicitur adhuc hodie conseruari · ergo non totus sanguis xp̄i in eius resurrectione ad corpus redijt · cōa videt̄ nota · ¶ Secūdo confirmando arguitur · si totus redierit sequitur error in ecclesia · quia in aliquibus ecclesijs in quibus esse dicitur adoratur quod esset error si tot⁹ sanguis effusus in eius passione in eius resurrectiōe redijsset · ergo ꝛc · ¶ Tercio sic · sanguis cristi est vnus de quatuor humoribus · si ergo sanguis xp̄i effusus

in passione totus in resurrectione rediit · pari ratione alii humores ex quibus causatur corruptio in corporibus animaliū · & tunc sequeretur q̄ corpus xp̄i post resurrectionem fuisset corruptibile · quod est erroneum · ergo ꝛc · ¶ In oppo · arguit quicquid fuit in xp̄o de veritate nature assumpte rediit ad cristum in resurrectione aliter nō fuisset perfecta resurrectio si nō fuisset reintegratum quicquid per mortem ceciderat · Vñ & dominus fidelibus suis promisit dicēs Math · x · omēs capilli capitis vr̄i numerati sunt · & Lu · xxi · capillus de capite vr̄o non peribit · sed totus sanguis xp̄i qui fuit in passione xp̄i pertinebat ad naturā corporis xp̄i · quia si pars fuit de veritate humane nature & totum quia eadem est ratio de toto & de parte · ergo totus sanguis xp̄i in passione effusus in resurrectione fuit reassumptus · ¶ Nō dicendum circa hanc questionē q̄ duo sunt modi dicendi · quidam volunt dicere · q̄ non est necesse dicere q̄ totus sanguis xp̄i in passione effusus sit reassumptus in resurrectione · Vnde Franciscus de mayronis in quodaz sermone suo huiusmodi videtur opinionis ad quam fundandam premittit quedam que non videntur nobis bene dicta vt ostēdemus per singula · Primo quidem distinguit quatuor separationes & dicit · q̄ secunda separatio fuit humamtatis a diuinitate prout humanitas dicit aliud resultans ex vnione anime & corporis · propter hoc dicit in cruce clamare cristum · Deus deus meus vt quid dereliquisti me · Math · xxvii · Istud tamē nō videtur nobis bene dictum q̄ humanitas fuerit separata a diuinitate · Pro quo notādum q̄ differt cessatio vnionis & separatio vnitorum · cessat enī vnio aliquorum per declinationem alicuius extremorum · sed separatio nō est nisi eorum que manēt postq̄ soluta est eorum vnio · Vnde forme naturales alie ab anima rationali quando fit corruptio compositi · non dicunt separari a materia sed sola anima rationalis dicitur separari · quia remanet soluta vniōe eius a corpore · & ideo cum in morte xp̄i humanitas prout dicit aliud resultans ex vnione anime et corporis non maneat dissoluta vnione anime & corporis sed desinat esse · nō est proprie dicenda separari a diuinitate · Preterea

quod dicit · ꝙ de tali separatione loquatur illud euangelium ·
Math · xxvij · Deus deus meꝰ quare me dereliquisti · non dicit
verū · qm̄ Augꝰ · & mgr̄ sentētiaꝝ sanctꝰ Tho · & mgr̄ Alexā
der de alis & Nicolaus de lyra omnes exponūt de subtractio
ne ꝓtectionis · dicit̄ em̄ xp̄s derelictus · quia expositus mani
bus impioꝝ · non aūt dictū est rōne sepationis facte · ptz hoc ·
quia vt tā mgr̄ sentētiaꝝ q̄ Alexāder de alis dicūt · hec verba
dixit xp̄s adhuc viuēs in cruce · Preterea dicit idez Frāciscus ·
ꝙ q̄rta sepatio fuit sanguinis a diuinitate · quia vt inquit ꝓ
signo · non em̄ possumꝰ dicere · ꝙ xp̄s remāsit effusus in triduo
illo sup terrā ꝓpter sanguinem ibi existentem · hoc etiā non vi
det̄ bene dictū · tū primo quia ip̄e xp̄s ait p ꝓphetā in ps̄ · xxi ·
Ego autē sicut aqua effusus sum & dispersa sunt omnia ossa
mea · quod glo · que est Augꝰ · exponit de cristo · sicut ergo ra-
tione corporis dicitur iacuisse in sepulchro · ita & modo ratiōe
sanguinis effusi de eo poterat dici effusus super terram · tū se-
cundo quia non stat illud quod timuit Franciscus sequi · quia
non oportet ꝙ omne quod predicat̄ de eo qd̄ est vnitū verbo
predicet̄ de verbo omībus modis · vn̄ licet aīa semper manse-
rit vnita verbo · non dicit̄ ꝙ verbum sit aīa aut sit forma cor-
poris aut ꝙ fuisset sepata a corpore sicut erat aīa · aut ꝙ esset
corpus etiam separatum ab aīa · & ita licet sanguis esset vni-
tus diuinitati non sequitur ꝙ diuinitas esset sanguis aut ꝙ fu
isset effusa super terrā · ꝫ bn̄ sequit̄ ꝙ erat habens sanguinez
effusum sup terraz · ꝙ aūt sanguis xp̄i qui in passione xp̄i fuit
effusus semp manserit diuinitati vnitꝰ infra on̄demus · Secū
dus modus dicendi est · ꝙ totus sanguis xp̄i in eius passione
pro redemptione humani generis effusus fuerit in resurrectio-
ne reassumptus · Iste modus dicēdi est beati Tho · tam m · iij ·
parte · q · liiij · & tercio · q̄ quodlibeto · v · vbi ad hoc probandū
triplici ratione vtitur · Quarum vna accipitur ex etate xp̄i paci
entis · Passus est enim in perfectissima etate in qua maxime ea
que in homine mueniuntur ad veritatem humane nature perti
nere vident̄ ad maximā pfectionem adducta · quia nihil super
fluū continere ꝫ omnia esse de integritate nature · Scda ratio

sumitur ex merito passionis xp̄i· si em̄ sanctoꝝ martiꝝ ille par
tes in quibꝰ pro xp̄o passionē sustinuerūt quendā priuilegia-
tum fulgorē habebūt vt dicit Aug⁹· de ciuitate· ij· libro· mul
to pfectius sanguis xp̄i quem ꝓpter salutem humani generis
effudit ad gloriosam resurrectionem totus reparatus est· Ter
cia ratio potest sumi ex ip̄a virtute passionis xp̄i· sanguis em̄
in passione effusus humanum genus sanctificauit· ſm illud ad
Hebr̄· vltimo· Jhesus vt sanctificaret per sanguinē suum po
pulum extra portam passus est· humanitas aūt xp̄i salutiferā
habuit virtutē ex virtute verbi sibi vniti· vt dicit Damasce⁹·
iij· libro· Vn̄ manifestū est ꝙ sanguis in passione effusus qui
maxime fuit salubris fuit diuinitati vnitus et ideo oportuit ꝙ
in resurrectione iungeret̄ alijs humanitatis partibus· hec om
nia sanct⁹ Tho· Item quarto iuxta eiusdē sententiā pōt eadē
conclusio sic probari· Resurrectio nr̄a cōformis est resurrectiōi
xp̄i· ſm illd̄ Philippen̄· iij· Reformabit corpus hūilitatis nr̄e
configuratū corpori claritati eius· sed ad corpus nostrū in re
surrectione redibit totū quod fuit de veritate humane nature·
ergo sanguis xp̄i effusus cum fuerit de integritate hūane na
ture in resurrectione eius ad corpus redijt· nec videt̄ sustinen-
dum ꝙ xp̄i sanguis in passione effusus pro redemptione hūa
ni generis nō fuerit de veritate humāe nature in xp̄o· tū quia
ex hoc sequeret̄· ꝙ xp̄s dederit in precium redemptionis hūa
ni generis id quod non fuit de veritate humane nature assum
pte sed alienū· & ita ip̄e non fuisset preciū nostre redēptionis
cū nihil de suo dederit· qd̄ est absurdū cū cōtradicat illi ꝙ be-
atus Petr⁹ inquit· i· Petri· i· Redempti estis precioso sangui
ne agni incontaminati & immaculati Jhesu xp̄i· Plane si san
guis effusus in passione pro redemptione hūani generis non
pertinebat ad veritatem humane nature eius· non diceret̄ san
guis agni incontaminati· nec dictus fuisset preciosus· Prete-
rea ꝙ taliter dicentes male dicere videantur· Pro quo notan
dum ꝙ aliquid dicit̄ de veritate humāe nature duplicit̄· vno
modo id qd̄ formā humanā actu participat sicut caro & ossa·
Alio mō dicitur de veritate humane nature id sine quo natura

remanere & durare & seruari non posset sicut sanguis · Vñ de sanguīe dicit Leui · xvij · Anima ai · vita carnis in sanguīe · vbi glo · Nicolai de lyra dicit · vita in sanguine pncipaliter consistit Vñ a philozophis et medicis dicit sanguis sedes aie · Quod sicut sanctꝰ Tho · in · iij · di · xi · dicit potest intelligi · vno modo qꝛ sedes aie dicit ai · conseruatio vite q̄ est p sanguinē · Alio modo qa sanguis est potentia totū quia p actū nutritiue virtutis in mē bra cōuertit · Tercio quia p sanguinē in corde generatū vitalis operatio in oīa mēbra diffundit · vt phūs dicit libro de aīalibus · hec ille · Ex quibꝰ manifeste ptz qꝛ negātes simplr sanguinē non ptinere ad veritatē humane nature maxime in xp̄o non bñ dicāt ꝛ errent · Item hunc modū dicēdi sancti Tho · scz qꝛ totꝰ sanguis xp̄i effusus in sua passione in resurrectiōe sua fuerit reassūptus · sequit magister Jo · de poliaco · iij · qō libeto suo vbi ostendit qꝛ hora passionis non erat in xp̄o aliquis sanguis superfluus · & sic totus sanguis quem tūc habuit ad veritatem & perfectionē humane nature pertinebat · & per cōsequens totus qui effusus est in passione in resurrectione fuit reassumptus · Hunc autem modum dicendi prosequentes ponemus duas conclusiones · Prima est · qꝛ sanguis effusus in passione pro redemptione generis humani non fuit separatus a diuinitate · Ista conclusio que videtur esse fundamentū huius materie probatur multipliciter · vt probauimus coram papa Pio cum fuit ista materia disputata coram sanctitate eius & dominis Cardinalibus · Primo sic · ex illo Math · xxvi · Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur · & hic est sanguis qui pro vobis effundetur · ex quibus verbis cristi eadem videtur esse vnitas inter sanguinem effusum et sanguinem viuum que fuit inter corpus viuum xp̄i & corpus mortuum · sed corpus mortuum & corpus viuum xp̄i fuit vnum & idem vnitate suppositi · ergo sanguis effusus & sanguis viuus cristi fuit vnus vnitate suppositi · quod nō esset si sanguis effusus in passione fuisset a diuinitate separatus · consequentia est bona · & ancedēs pro vtraqꝛ parte alꝰ dabit · qꝛ sanguis effusus esset alius suppositaliter q̄ꝛ sanguis viuus cristi · quod non videtur

conuenienter dictum. Secdo sic. sanguis cristi effusus in passi-
one fuit preciū sufficiēs redemptiōis hūane nature. ergo non
fuit a diuinitate diuisus. cōna est bona. añs patet ex illo. i. ad
Corin. vi. Empti enī estis precio magno quia sufficienti. ꝫ suf
ficiens preciū redemptionis nō potuit esse aliqua virtute cre
ata. vñ necesse est ꝙ virtute diuina. Vnde ex hac ratiōe sumi
tur hec necessitas incarnatiōis. vñ sanctꝰ Tho. sup illd Pau
li. i. ad Corin. vi. Empti estis precio magno dicit. dicit autez
preciū redemptionis magnū. quia nō est corruptibile sed eter-
num. habēs virtutē cū sit sanguis dei eterni. Tercio. sanguis
effusus fuit incorruptiblis. ptz tum ex illo ps. Que vtilitas in
sanguine meo cū descendero in corruptionem. tum ex illo. i.
Petri. i. Non corruptibilibus auro & argento redempti estis
ꝫ precioso sanguine ꝛc. ꝫ ista incorruptio non inerat ei ex na-
turali virtute. ergo necesse erat ex virtute diuinitatis sibi vni-
te. Vñ sanctꝰ Tho. sup illud Pauli. i. ad Corin. vi. ꝓxime in-
ductū dicit. ꝙ sanguis est incorruptibilis eternaz habens vir
tutem ꝛc. Quarto. sanguis cristi qui datur nobis sumendꝰ sub
sacramento est idem sanguis qui effusus est a corpe cristi ī re
missionem peccatorum. sed iste est vnitus diuinitati. ergo ꝛc.
Quinto. actio & operatio arguūt virtutem in operāte. ꝫ san-
guis cristi operatꝰ ē remissionē peccatoꝝ. Apoc. i. dilexit nos
& lauit nos in sanguine. Item lotionē culpaꝝ. aptionē regni
celestis. vt testatur apl's ad Hebr. ij. ergo necesse ē dicere ꝙ fuit
diuinitati vnitꝰ. cōna est bona. quia cum tales opationes sint
supernaturales & diuine necesse arguunt in operante virtutez
diuinitatis. ergo sanguis ipse semp fuit diuinitati vnitus. vñ
sanctus Tho. sup illud apl'i ad Hebr. ix. Cristꝰ assistens pon
tifex p ꝓpriū sanguinē introiuit semel in sancta eterna redēpti
one inuenta dicit sic. per istū sanguinē redempti sumus & hoc
in perpetuū quia virtus eius est infinita. Item Nicolaꝰ de ly
ra dicit sic. sanguis cristi ex vnione ad suppositū diuinū ꝯtra-
hit quandā infinitatē virtutis. hec ille. Sexto sic. nullus sa-
piēs medicus subtrahit a medicina sua virtutem qua debet sa
nare vulnus cui est applicanda. hoc patet. sed verbum dei est

sapientissimus medicus & sanguinem suum ordinauit effundendū in medelā humani generis egrotātis · dicit em̄ Aug⁹ · in libro contra quinq; contraria hostiū · fusus est sanguis medici & factum est medicamentū frenetici · Sed virtus medicine est ipsa diuinitas · ergo nullo mō est dicēdū q̄ verbū dei se parauerit diuinitatem suam a sanguine quē effudit in medicamentū humani generis · Septimo paruifacere dignitatem sanguinis x̄pi effusi in passione x̄pi pro redemptione nr̄a est derogare pietati fidei x̄piane · cū beat⁹ Petrus vocat eū preciosū & Paulus magnū preciū · sed sanguinē effusum in passiōe cristi pro redemptione hūani generis dicere separatū esse a diuinitate est paruifacere dignitatem eius · vt p̄z · qua ei⁹ dignitas attenditur ex vnione ad diuinitatem · sicut separe lapidez preciosum ab annulo est minuere preciositatem & valorē annuli · ergo nullo modo est audendū dicere x̄pi sanguinē in passione effusum pro redemptione humani generis fuisse a diuinitate separatū · Octauo sic · dicit Damasce · anathema sit qui dicit verbum deposuisse quod semel assumpsit · quod intelligendum de eo quo ad vnitatem suppositalem est assumptū vt dictū est · sed sanguis x̄pi in passione effusus cū pertineat ad integritatem humane nature · fuit simul vnit⁹ diuinitati x̄pi · ergo nunq̄ fuit ab ea sepatus · Nono sic · deus nihil agit frustra minus q̄ natura · quia cum sapiens ditissimus sit omia disponit cum ratione · sed nulla ratio sufficiens p̄t assignari · q̄ sanguis effusus in remissiōem peccator̄ derelinquat̄ a diuinitate · nec aliqua vtilitas · sed pro ista parte sunt rationes · est auctoritas · est vtilitas publica · s · redemptio humāi generis · ergo ꝛc · Decimo sic · nullum suppositum est assumptibile a verbo dei · ꝑ si sanguis x̄pi fuisset a diuinitate separatus esset suppositū per se subsistens · ergo nullo modo fuisset reassumpt⁹ · quod est hereticum · Secūda conclusio que sequit̄ ex p̄cedēti est · q̄ tot⁹ sanguis x̄pi effusus in passione x̄pi p̄ redemptione hūani generis reassumptus fuit in resurrectione eius · Ista conclusio vt dixim⁹ est sancti Tho · tam in · iij · parte · q̄ in quodlibet · & ista p̄bata est rōnibo eius quatuor · nūc aūt p̄bat̄ sic breuiter ·

Primo vt parum añ nullum suppositū est assumptibile a verbo dei vt ptz ꝫ si sanguis effusus in passione ꝑ quacūqz parte sepat⁹ esset a diuinitate esset suppositū per se existēs · ergo talis nullo modo reassumeret̄ in resurrectione · qd̄ est hereticū · Scd̄o sic · si sanguis xp̄i effusus in passiōe ꝑ redemptiōe humani generis pro pte aliqua nō reassumeret̄ in resurrectiōe sed remaneret in terris · q̄rit̄ quid erit de eo in fine seculi · nō est dicendū ꝙ corrumpet̄ · nec ꝙ tunc reassumat̄ · quia resurrectio xp̄i non iterabit̄ · ergo sequit̄ ꝙ tot⁹ sanguis in passiōe effusus ꝑ redemptione humani generis fuit reassumpt⁹ in resurrectione · ¶ Nunc est dicendū ad rationes in oppo · Ad primā respondet̄ negando ɔseqñaz · quia sanguis ille qui in aliquibo eccl'ijs dicit̄ reseruari non fuit qui fluxit de latere xp̄i sed qui miraculose dicit̄ effluxisse de quadaz imagīe xp̄i ꝑcussā · vt dicit sanct⁹ Tho · i · iij · parte · vel qui dicit̄ effluxisse de hostia cōsecrata ꝑcussā a quodaz iudeo · vt dicit Jo · de poliaco vbi · s̄ · ¶ Ad scd̄az q̄ est ɔfirmatio rñdet̄ etiā negādo ɔñaz · et ratio ē · quia fortassis qui talē sanguinē adorāt nec credūt ꝙ ille effluxisset de latere xp̄i ꝫ emanasset aliūde sicut dictū est · Vñ Jo · de poliaco rñdens p̄dicto argumento dicit sic · ꝙ si illi apd̄ q̄s est talis sanguis assererēt ꝙ fluxisset de corpe dñi male facerent · cū oppositū vt dixi ꝓbabili⁹ sit · ꝫ si oñdāt adorandū nō videt̄ periculū · quia ille sanguis vel dicit̄ effluxisse a quadaz imagīe xp̄i percussā in ɔtumeliā xp̄i · vel fluxisse de quadā hostia consecta & puncta in xp̄i cōtumeliaz sicut accidit in vico iudeorū Parisius · si ergo fluxerit de corpore xp̄i potest & debet adorari adoratione latrie sicut sacratissima reliquia cristi · Si fluxit de imagine cristi aut hostia cōsecrata quia talis fluxus omnino fuit miraculosus representās xp̄i passionem & ipsum xp̄m passum · ideo etiam debet adorari adoratione latrie · non propter se sed propter cristum passum & eius passionez quam representat · sicut etiam xp̄i imago · & ideo siue fluxerit de corpore xp̄i siue non · est error · nisi asseratur ꝙ de corpore xp̄i fluxerit qd̄ vt puto non faciūt · hoc Jo · de poliaco · ¶ Ad terciam respōdetur ꝙ etiam alij humores resurgēt sed ablatis

qualitatibus eorum · vnde Aug⁹ · valet em̃ diuina potẽtia de
ista visibili atq; tractabili natura corporum quibusdam manẽ
tibus auferre quas voluerit qualitates · vt absit labes · s · cor-
ruptionis · absit effigies · absit motio · absit fatigatio · absit ve-
scendi potestas · absit esuriendi necessitas · Et hoc de ista · q · p
nunc · Conferant aũt totũ qd̃ dictũ est id qd̃ legit̃ in directo
rio inquisitionis qꝫ clemens sextus informatus per fratrẽ Ni-
colaũ roselli ordinis predicatorꝫ inquisitorem hereticе prauita
tis in partibus Arrogonie & Cathalonie · qꝫ in cathalonia in
ciuitate Barchinonen̄ · publice predicabat̃ · qꝫ in sanguine xp̃i
aspersо in parasceue non remansit diuinitas · nec sanguis ille
erat deificatus · habito solẽni consilio magistrorum & aliorũ ·
mandauit per suas patẽtes litteras dicto inquisitori quatin⁹
dictũ articulum vt hereticalem & erroneum faceret publice re
uocari atq; solẽniter condempnari · & sic ipe inquisitor fecit in
eccl̃ia cathedrali publice Barchinonen̄ · dictũ articulum velud
hereticalem condempnari · hoc in directorio inquisitionis ·

¶ In die lune legit̃ euãgeliũ · In illo tpe · Duo ex discipul̃ ꝛc.
Lu · xxiiij · Circa qd̃ possunt disputari sequentes questiones ·
¶ Prima est vtrum conueniens fuerit vt xp̃s in alia effigie di
scipulis appareret · ¶ Secunda vtrum conueniens fuerit qꝫ
xp̃s veritatem resurrectiõis sue argumentis probaret · ¶ Ter
cia vtrum argumenta que cristus induxit sufficienter manife-
stauerint resurrectionis eius veritatem ·

AD primã · q · sic ꝓcedit̃ · & videt̃ qꝫ xp̃s non debuit in
alia effigie discipulis apparere · ¶ Primo sic · non po-
test apparere aliquid sin veritatẽ nisi quod est · sed in
xp̃o non fuit nisi vna effigies · si ergo in alia apparuit nõ fuit
apparitio vera sed ficta · sed hoc est inconueniens xp̃o · quia vt
dicit Aug⁹ · libro · lxxxiij · questionum · si fallit veritas non est ·
Est autem xp̃s veritas · ergo non debuit in alia effigie appare
¶ Secundo sic · nihil potest in alia effigie apparere qꝫ habeat ·
nisi oculi intuentiũ aliquibo prestigijs detineant̃ · sed huiusmõi

prestigia cum fiant magicis artibus non conuemebant cristo.
ſm illud .ij. Corin. vi. q̄ conuenientia xp̄i ad belial. ergo videt̄
q̄ non fuit cōueniens q̄ in alia effigie xp̄s appareret. ¶ Ter
cio sic. sicut dicit Aug⁹. in epl'a ad Jeronimū. si vel vnū mē-
daciū in sacra scriptura inueniat̄ infirmabit̄ tota sacre scrip-
ture auctoritas. ergo similit̄. si vel in vna apparitione xp̄s di
scipulis apparuit aliter q̄ꝫ esset infirmabit̄ quicqd post resur-
rectionē viderūt in xp̄o. qd̄ est inconueniens. ergo non debuit
in alia effigie apparere. ¶ In oppo. est euangeliū. dicit̄ enim
Lu. vltimo. post hec duobus ex eis ambulātibus oñsus est in
alia effigie euntibus in villā. Rño dicendū sub ista cōclusione.
q̄ ꝯuemēs fuit vt xp̄s in alia effigie appareret discipulis suis
post resurrectionē suā eius resurrectionem non credentibus. q̄
conclusio ꝓbatur sic ſm Tho. in .iij. parte. q. lv. ar. iiij. resurre
ctio xp̄i manifestanda fuit hom̄ibus ꝑ modum quo eis diuina
reuelant̄. Innotescunt aūt diuina hominibus ſm q̄ diuersimo
de sunt affecti. Nam illi qui habent mentem bene dispositam
ſm veritatem diuina percipiunt. Illi aūt qui habent mentem
non bñ dispositā diuina ꝑcipiunt cū quadā ꝯfusione dubieta-
tis vel erroris. Animalis em̄ hō non ꝑcipit ea q̄ sunt spūs dei
vt dicit̄ .i. Corin. ij. Et ideo xp̄s quibusdā ad credēdū dispo
sitis post resurrectionē apparuit in sua effigie. illis aūt in alia
effigie apparuit qui iam circa fidem videbant̄ tepescere. vnde
dicebant. nos sperabamus quia ipse esset redemptur⁹ israhel.
vnde Greg. dicit in omelia. q̄ talē se eis exhibuit in corpore.
qualis apud illos erat in mente. quia em̄ adhuc in eoꝝ cordi-
bus peregrin⁹ erat in fide ire se longi⁹ finxit ac si esset peregri
nus. ¶ Ad rōnes in oppo. Ad primā rñdet̄ negādo ꝯseqñaꝫ.
& rō est. qꝛ sicut dicit Aug⁹. in libro de ꝯcordia euāgelistarū.
non omne qd̄ fingim⁹ mēdaciū est. ſ qñ id fingim⁹ qd̄ nihil
signat tūc est mēdaciū. cū aūt fictio nr̄a refert̄ ad aliquā sigm
ficationē non est mēdaciū ſ aliq̄ figura veritatis. al's oīa que a
sapiētibo et sanctis viris vel etiā ab ip̄o dño figurate dicta sūt
mēdacia reputabunt̄. quia ſm vsitatum intellectum non cōsi-
stit veritas in talibus dictis. sicut aūt dicta ita etiaꝫ fingunt̄

facta fine mendatio ad aliquam rem significandam·et ita factū est hic vt dictum est· ¶ Ad secundā respōdetur iuxta Aug⁹· & habet in glo· ordi· q̄ non incongruenter dicit hoc impedimentū in oculis a sathana fuisse ne agnosceretur Jhūs· vñ in euāgelio pñti dicit q̄ oculi eor tenebant ne eū agnoscerēt·et illa detentio vocat aurisia·de qua in glo·Gen·xix· In scripto vero tercio di·xxi·q·iij·dicit sctūs Tho·sic·q̄ pōt dici q̄ q̄mis visui discipulor repñtaret ꝓpria species in qua soliti erāt videre xp̄m·tñ diuina virtute impediebant vires interiores ne sequerent iudiciū de psona illa q̄ esset·vt sic ea q̄ exteri⁹ agebant informarent his q̄ interius ptingebāt in ipis·vt pñtem haberēt & nō cognoscerēt·quia amabāt ꝑ dubitabāt·vt dicit Greg· ¶ Ad tertiā rñdetur q̄ ratio illa sequeret vt dicit sanctus Tho·in·iij·parte vbi·ꝑ·si aliene effigiei specie nō fuerūt reducti ad vere videndū xp̄i effigiez·sicut em Aug⁹·ibidē dicit·tñ a xp̄o facta ē pmissio·ſ·vt si p̄dicto mō oculi eor tenerētur vsq; ad sacrāmētū panis vt vmitate corpis eius participata remoueri intelligat impedimētū inimici vt xp̄s posset agnosci Vñ ibidē subdit·q̄ apti sūt oculi eor et cognouerūt eū·non q̄ añ clausis oculis ambularēt·ꝑ merat aliqd quo nō sinerēt agnoscē qđ videbāt·qđ·ſ·caligo & aliqs humor solet efficē·

¶ Ad secundā·q·sic procedit et videt·q̄ non fuerit conueniēs xp̄m argumētis resurrectiōez suā ꝓbare· ¶ Primo sic·dicit em Ambro·tolle argumenta vbi fides q̄ritur·ꝑ de resurrectione queritur fides·ergo argumenta ad resurrectionē probandā fieri non debuerūt· ¶ Deīo sic·Greg· dicit·fides non habet meritum cui humana ratio prebet experimentū·ꝑ ad xp̄m non pertinebat meritū fidei euacuare·ergo ad eum non pertinebat resurrectionem per argumenta confirmare· ¶ Tercio sic·aut illa argumenta fuerunt sufficientia ad probandū resurrectionem aut non·si non hoc videt ad imperfectionem argumenta inducentis redundare·si fuerūt sufficientia & argumentum sufficiēs facit scientiā vel arguitionē q̄ nō stat simul cū fide q̄ est de non apparentibus·ergo videt q̄ argumenta illa euacuauerunt fidē & abstulerūt meritum eius·

¶ Quarto sic · sicut est fides de resurrectione ita de alijs articulis · sed ad alios articulos non induxit ista argumenta probatiua · ergo nec ad resurrectionē inducere debuit · ¶ In oppo· est illud Act · i · q apparuit discipulis Jhesus per dies · xl · in multis argumētis loqns de regno dei · Rño notādū sm Tho· in · iij · parte · q · lv · ar · v · q argumentū dupliciter dicit · qnqz em dicit argumentū quecūqz ratio rei dubie faciens fidē · qnqz aūt dicit argumentū aliqd signum sensibile quod inducit ad alicuius veritatis manifestationē · sicut etiaz Aristotiles aliqn in libris suis vtitur nomine argumenti · Capiendo primo mō argumentū est conclusio · q xps non probauit discipulis suis resurrectionē per argumenta · Ptz conclusio · quia talis ꝓbatio argumentatiua ꝓcedit ex aliquibus pncipijs que si nō essent nota discipulis mhil p ea eis manifestaretur · quia ex ignotis non potest aliquid fieri notum · si aūt essent eis nota non transcenderent rationem humanā · & ideo non essent efficacia ad fidem resurrectionis ostendendā que rationem humanam excedit · Oportz em principia ex eodem genere assumi · vt dicatur · i · posteriorum · Probauit autem eis resurrectionem per auctoritatem sacre scripture que est fidei fundamētum quando dixit eis · Oportet impleri omia que scripta sunt in lege et psalmis et prophetis de me · vt habetur in euangelio hodierno · Si autem accipiatur secundo modo argumentum · sic est conclusio secunda · q cristus suam resurrectionem argumentis declarauit inꝫctum per quedā euidentissima signa se vere resurrexisse ostēdit · que quidem signa resurrectionis fuе cristus ostedit discipulis conuenienter propter duo · Primo quidem quia nō erāt corda eorum disposita ad hoc q de facili fidē resurrectionis acciperent · Vnde ipse dixit eis vt patet in euangelio presenti · O stulti & tardi corde ad credendum · & Mar · vltimo · exprobauit incredulitatem eorum et duriciam cordis · Secundo vt per huiusmodi signa eis ostensa efficacius eorum testimoniū redderent · sm illud · i · Jo · Quod vidimus & audiuimus & manus nostre contractauerunt hoc testamur · ¶ Ad rationes in oppositum · Ad primam rndetur · q Ambrosius ibi loquit de

BIBLIOTEKA GŁÓWNA w Poznaniu im. A. Mickiewicza

argumentis ſm rationem humanam procedentibus que inualida ſunt ad ea que ſunt fidei oſtendēda ſicut dictum eſt· ¶ Ad ſcḋam reſpondetur negādo cōſequentiā & ratio eſt· quia meritū fidei ex hoc eſt q̄ homo ex mandato dei credat que non videt· vnde illa ſola ratio meritum excludit que facit videri per ſcientiam id qḋ credendū ꝓponit̄· et talis eſt ratio demonſtratiua· huiuſmōi aūt rationes xp̄s non induxit ad reſurrectionē ſuaz declarandā· ¶ Ad terciam ptz reſponſio ex dictis· q̄m argumenta xp̄i non ſunt argumēta p rationes demonſtratiuas que ſciētiam faciunt· quia tales vt dictū eſt non habent hic locum· & ideo licz argumēta inducta per xp̄m in ſuo genere fuerint ſufficientia ad probandum reſurrectionem ſuam· vt oſtendet̄ infra in queſtione ſequenti· non tamen tulerūt fidem nec abſtulerunt meritū· ¶ Ad quartā rn̄detur negando conſequentiaz· & ratio eſt· quia articuli fidei quidā ſunt de diuinitate tm̄· & iſti non poſſunt ad ſenſum probari ſed per miracula vel p auctoritates· & ſic probati ſunt· quidā autem ſunt de vnitate hūanitate diuinitati· & iſti etiam ad ſenſum probati ſunt· ſ̄ quia paſſio & aſcenſio in ſeipa viſa ſunt· reſurrectio aūt nō· et ideo ſigna reſurrectiōis viſibiliter oſtendere oportuit ex quibus cō ferendo ad veritatem reſurrectionis peruenirētur ꝛc·

AD terciā· q· ſic ꝓcedit̄· & videt̄· q̄ argumenta q̄ xp̄s induxit non ſufficienter manifeſtauerunt reſurrectiōis eius veritatem· ¶ Primo ſic· nihil oſtendit xp̄s poſt reſurrectionem diſcipulis qḋ etiam angeli hominibus apparentes vel non oſtenderunt vel non oſtendere potuerūt· Nā angeli in humana ſpecie frequēter ſe hoībus oſtēderūt & cū eis loquebant̄ & conuerſabantur & etiam comedebant ac ſi eſſent homines veri· ſicut patet Gen̄· xviij· de angelis quos Abrahā ſuſcepit hoſpicio· & in libro Tobie de angelo qui eum duxit & reduxit· & tamen angeli non habent vera corpora naturaliter eis vnita quod requiritur ad reſurrectionem· non ergo ſigna que xp̄s diſcipulis exhibuit fuerunt ſufficientia ad reſurrectionē eius manifeſtandā· ¶ Deḋo ſic· xp̄s reſurrexit reſurrectione glorioſa· i· habens ſimul humanā naturā cum gloria·

sed quedam xps ostendit discipulis que videntur esse contraria nature hūane·sicut q ab oculis eoz euanuit·vt ptz in p̄senti euangelio·& q ad eos ianuis clausis introiuit·vt in euā gelio crastme diei habetur·quedā autem videntur esse contraria glozie·puta q manducauit & bibit·q etiā habuit vulnera & cicatrices·ergo videtur q illa argumenta non fuerūt sufficientia nec conuenientia ad fidem resurrectionis ostendendā· ¶ Tercio sic·corpus xp̄i post resurrectionem non erat tale q tangi deberet ab homine mortali·vnde ipse dixit magdalene Jo·xx·Noli me tangere nondum em̄ ascendi ad patrem meū· non ergo conuenies fuit q ad manifestandum sue resurrectionis fidem seipsum discipulis palpabilem exhibuit·¶ Quarto sic·inter dotes glorificati corporis precipua videt esse claritas·glozia3 tamen in resurrectione nullo argumento ostēdit· ergo nunc insufficientia fuerint illa argumenta ad manifestādam qualitatez resurrectionis xp̄i·¶ In oppositum est·quia xps cum sit sapientia suauiter & conuenienter disposuit omnia·vt dicatur Sapie·viij·Rño dicendū sub ista conclusione Argumenta que xps induxit sufficienter manifestarunt veritatem sue resurrectionis· Pro qua cōclusione est notandum fm Tho·vbi supra ar·vi·q xps resurrectionem suā duplicit manifestauit·s·testimonio & argumēto.i.signo·& vtraq; māifestatio in suo genere fuit sufficiens·est em̄ vsus duplici testimonio ad manifestandam suam resurrectionem discipulis quoz̄ neutrum potest refelli· Quoz̄um quidem primum testimoniū est angeloz̄um qui mulieribus resurrectionem annuntiauerunt·vt patet per omnes euangelistas· Aliud autem est testimonium scripturarum quas ipse proposuit ad ostensionē sue resurrectiōis·vt dicatur in presenti euangelio· Argumenta etiam fuerunt sufficientia ad ostendendam veram resurrectionem & etiam glozioſam·q autem fuerit vera resurrectio ostendit vñomodo ex parte corporis circa quod tria ostendit· Primo quidem q esset corpus verum & solidum non corpus fantasticum vel rarum sicut est aer· & hoc ostendit per hoc q corpus suum palpabile prebuit· Vnde ipse dicit Luce vltimo·

palpate & videte quia spirit⁹ carnem & ossa non habet. Secundo ostendit ꝙ esset corpus humanum ostendendo eis verā effigiem quam oculis tuerentur. Tercio ostendit eis ꝙ esset idem numero corpus quod prius habuerat ostendēdo eis vulnerum cicatrices. Vnde Luce vltimo legitur. ꝙ dixit eis. Videte man⁹ meas & pedes meos quia ego ipse sum. Alio modo ostendit eis veritatem sue resurrectionis ex parte anime iterato corpori vnite. & hoc ostendit per opera triplicis vite. Primo quidem per opus vite nutritiue. in hoc ꝙ cum discipulis suis manducauit & bibit. vt legitur Lu. vltimo in euāgelio presenti. Secundo per opera vite sensitiue. in hoc ꝙ discipulis ad interrogata respōdebat & presentes salutabat. in quo ostendebat se & videre & audire. Tercio per opera vite intellectiue in eo ꝙ cum eo loquebantur & de scripturis disserebant. & ne quid deesset pertinens ad perfectionem manifestationis. ostendit etiam se habere diuinam naturam per miraculum quod fecit in piscibus capiendis. & vlterius per hoc ꝙ ipsis videntibus ascendit in celum. quia vt dicitur Jo. iij. Nemo ascendit in celum nisi qui descendit de celo filius hominis qui est in celo. gloriam etiam sue resurrectionis ostendit discipulis per hoc ꝙ ad eos clausis ianuis intrauit. similiter etiaꝫ ad ꝓprietatem glorie pertinebat ꝙ subito ab oculis discipulorū euanuit. vt dicitur in euangelio presenti. quia per hoc ostendebatur ꝙ in potestate eius erat videri & non videri. qđ pertinet ad conditionē corporis gloriosi vt dictum est. ¶ Ad rationes in oppo. Ad primā respondetur dupliciter. Primo ꝙ licet singula argumentorum non sufficerent ad manifestandam xp̄i resurrectionem. omnia tamen simul accepta perfecte xp̄i resurrectionem manifestarūt. maxime propter scriptum testimonium & angelorum dicta & ipsius cristi assertiōem miraculis confirmatam. Secundo respondetur. ꝙ non est simile de apparitione & manducatione angelorum & xp̄i. nam angeli apparentes non asserebāt se homīes esse sicut asseruit xp̄s se verum hominem esse. Preterea aliter xp̄s māducauit & aliter angeli. nam quia corpora ab angelis assūpta nō erāt corpa viua

vel animata · non erat vera cōmestio licet esset ibi vera cibi con
tricio & trahicio ad interiorem partem corporis assumpti · vn
de & angelus dicit Thobie · x · cū essem vobiscum videbar qui
dem manducare & bibere vobiscū · ꝫ ego cibo inuisibili vtor ·
sed quia corpus xp̄i fuit vere aīatum vera fuit eius cōmestio ·
ꝫ tamen facta est ad probandū veritatez nature que manet in
statu glorie q̄tum ad omnes potentias & membra · licet non
moueāt vsus ommū potentiarum & membroꝝ · quia nō inest
necessitas · & ideo dicit Beda · ꝙ xp̄s māducauit potestate nō
egestate · ¶ Ad scd̄am rn̄detur negando ɔseqn̄az · & ratio est ·
quia argumēta que inducebat cristus · quedam inducebat ad
probandum veritatem nature humane · quedam ad probandū
gloriam resurrectionis · condicio autem nature humane ꝫm ꝙ
in se consideratur q̄tum scilicet ad statum presentem contrari
atur conditioni glorie ꝫm illud · i · Corin · xv · seminatur in infir
mitate & resurget in virtute · & ideo ea que inducunt ad on̄
dendum condicionem glorie videntur habere contrarietatem
ad naturam non simpliciter sed ꝫm statū presentem & ecōuer
so · vnde Greg · dicit ī omelia · ꝙ duo mira & supra humanaz
rationem sibi valde contraria dominus ostendit · cū post resur
rectionē corpus suū etiā incorruptibile et tamē palpabile de
monstrauit · ¶ Ad terciā rn̄detur negando assumptū · nam licz
illud de magdalena intelligatur in mīsteo factū quia carnalit̄
adhuc in eum credebat q̄q̄ sicut hominem flebat · tamen alibi
magdalena legitur xp̄m tetigisse qn̄ simul cum alijs mulieribo
accessit & tenuit pedes eius · ¶ Ad quartaz rn̄detur negando
ɔseqn̄az · et ratio est · quia sicut Aug⁹ · dicit ad Orosiū · Clarifi
cata carne de⁹ resurrexit · ꝫ noluit in ea clarificatiōe discipulis
apparere · quia nō possent oculis talem claritatē ꝑspicere · si em̄
anteq̄ moreretur pro nobis & resurgeret quando transfigura
tus est in monte discipuli sui eum videre non potuerunt · q̄to
magis clarificata carne domini eum videre non possent ·

¶ Die martis est euangeliū · In illo tempore · stetit Ihūs ꝛc ·
Lu · vltimo · Circa quod possunt disputari sequentes q̄stiōes ·

¶ Prima vtrum conueniens fuerit cristum resurgere cum cicatricibus. ¶ Secunda vtrum conuenienter cristus palpabilez discipulis se exhibuerit. ¶ Tercia vtrum cristus post resurrectionem vere comederit incorporando sibi cibum.

AD primam. q. sic procedit. & videt q̄ non fuerit cōueniens xp̄m resurgere cum cicatricibus. ¶ Primo sic dicit enī. i. Corin. xv. q̄ mortui resurgent incorrupti sed cicatrices & vulnera videntur ad aliquam corruptionē & defectum pertinere. non ergo fuit conueniens vt cristus qui resurrectionis actor est cum cicatricibus resurgeret. ¶ Secundo sic. corp9 cristi integrum resurrexit. sed aperture vulnerum cōtrariantur integritati corporis quia per eas discontinuat corpus. ergo inconueniens fuit cū illis resurgere. ¶ Tercio sic. status resurgentium est status immutabilitatis. ergo crist9 in seipso non debuit demōstrare nisi quod semper futurum in eo erat. sed cicatrices non semper in eo manere debebant. quia dicit Damascenus q̄ tm̄ s̄m dispensationem fuerunt in eo. ergo non fuit conueniens vt cristus cum illis resurgeret. ¶ In oppositum est euāgelium presens. Rn̄o dicendum sub ista cōclusione. conueniens fuit vt cristus cum cicatricibus resurgeret. probatur cōclusio. decet victorem insignia sue victorie habere & ostendere. sed sicut dicit Aug9. libro de ciuitate dei. cicatrices vulnerum cristi fuerunt victorie sue indicie. ergo decuit vt eas haberet & ostenderet. Vnde dicit Beda super Lucam. non ex impotentia curandi cicatrices cristus seruauit. sed vt imperpetuum victorie sue circumferat triumphum. Secūdo s̄m Tho. in. iij. parte. q. lv. ar. iiij. fuit conueniens ad confirmandum corda discipulorum circa fidem sue resurrectionis instruēdo eos q̄ idem sit qui passus est & qui resurrexit. Tercio vt patri pro nobis supplicans quale genus tormenti pro homine pertulerit semper ostendat. Quarto vt sua morte redemptis quam misericorditer sint adiuti propositis eiusdem mortis indicijs insinuaret. Quinto vt q̄ iuste dampnentur impij in iudicio insinuet ostensis cicatricibo quas p̄ illis accepit.

¶ Ad rationes in oppo. Ad primam respondetur. q̄ cicatrices ille que in corpore xp̄i permanserunt & que in alijs martiribꝰ vt dicit Augꝰ. ij. de ciuitate dei. non pertinent ad corruptionē vel defectum aliquem sed ad maiorem cumulum glorie mer-tum sunt quedam virtutis insigna. & in illis locis vulnerum quidam spiritualis decor apparebit. ¶ Ad secundā respōdetur q̄ illa apertura vulnerum q̄uis sit cum quadam solutione cō tinuitatis. totum tñ hoc recōpensat̄ per maiorem decorem glo rie. vt corpus non sit minus integrum sed magis perfectum. ¶ Ad terciam rñdetur negādo minorē. dicimus em̄ q̄ cicatri-ces semper mansure sunt in corpore. q̄ autē dicatur q̄ sunt di-spensatiue assumpte hoc nō est. quia ad temp⁹ assumpte fuit. sed quia non erat de necessitate nature q̄ in xp̄o remanerent. sicut accidit in nobis sed ꝓpter aliquē finem sicut dictum est.

¶ Ad secundā. q. sic ꝓcedit̄. & videt̄. q̄ non fuit conue niens q̄ xp̄s se palpandū discipulis exhiberet. ¶ Primo sic. palpabile em̄ incorruptibili est cōtrarium. vt dicit Greg. sed contraria non possunt esse in eodem. cum ergo corpus cristi esset incorruptibile videtur q̄ non debuit seip̄m palpabilem exhibere. ¶ Secundo sic. differentie tangibiles sunt calidum & frigidum & huiusmōi contraria. sed in corpo ribus glorificatis non erūt huiusmodi qualitates contrarie vt videt̄. ergo corpus xp̄i palpari nō potuit. ¶ Tercio sic. hoc solū est palpabile quod resistit tactui & cui tactus resistit. vñ aer q̄uis sit tangibilis non tamen est palpabilis. sed corpori xp̄i non resistebat aliud corpus qđ ianuis clausis intrauit. er-go palpari non potuit. ¶ Quarto sic. spūs boni vel mali pos-sunt accipe corpus solidū. ergo p palpationem non sufficien-ter ꝓbat̄ veritas corpis. ¶ In oppo. est euangeliū hodiernū. vbi dicit̄. palpate & videte ꝛc. ¶ Rño dicēdū q̄ xp̄s conuenienter corp⁹ suū palpabile discipulis exhibuit. ptz ista ꝺcluſio. qm̄ ad ostēdendā veritatē resurrectiōis ꝺuenient̄ visui adiunxit pal pationē. vt excluderet̄ visio p imutationē visus ab imaginatio ne. & visio vmbraꝝ et visio spirituū apparētiū. vt dicit Tho. in. iij. scripto. di. xxi. q. iij. ¶ Ad rōes i oppo. Ad primā rñdet̄

q̄ omne corpus tangibile est per naturam corruptibile · vnde
ſm philozophos · celum est visibile & nō tangibile · ſed quod
est per naturam corruptibile potest esse per gloziam mcorrupti
bile · vñ q̄ꝫ corruptibile et mcorruptibile sint contraria sim-
pliciter · propter quod dicit Greg · q̄ xp̄s ostendit m se duo
contraria · tamen corruptibile per naturam & mcorruptibile p
gloziam non sunt contraria · vnde sicut corpus glozioſum ha-
bet in potestate ſua videri & non videri · ita habet m potestate
ſua q̄ posset palpari & non palpari · & vtrūq; sine miraculo ·
ſi palpat̄ p naturā corporis · non palpabile aūt est inq̄ꝫtū cor
pus est instrumentum anime glozioſe · ¶ Ad ſcdam respōdet̄
dupliciter · Primo sic · q̄ palpatio non pertinet ad ſensum ta-
ctus inq̄ꝫtum est discretiuus calidi & frigidi & huiusmodi con
trariorum · ſed inquantum est discretiuus corporum solidorum
que habent potentias naturales resistēdi diuidenti · & hec qui-
dem soliditas est in corporibus glozioſis etiam ſi non sint qua
litates ille contrarie · Secundo respondetur · q̄ etiā ſi qualita
tes ille sint in corpore glozioſo quantum ad ſubstantiam · ſed
non sunt quantum ad actionem quod vnum agat in alterum ·
continebuntur enim per formam glozie ne agant sicut continē
tur per formam naturalem ne diſſoluant comunctum · ¶ Ad
terciam respondetur negando conſequentiaꝫ · & ratio est · quia
quamuis corpori glozioſo nullum corpus non glozioſum po
test resistere · tamen corpus glozioſum potest resistere cuilibꝫ
alteri corpori & ſecundum hoc potest palpari · ¶ Ad quartam
respondetur negando conſequentiam · & ratio est · quia quam-
uis ſpiritus possit corpus solidum accipere non tamen potest
assumere corpus solidum in quo appareant omnes operatio-
nes vite · Sicut perfecte in corpore cristi apparebant · Pre-
terea quia opus artis non potest esse simile operi nature · quā-
uis statim non percīperetur deceptio ſi ſpiritus opus solidum
assumpſiſſet · tamen ex longa mora qualem cristus traxit cum
diſcipulis ſuis non potuiſſet latere · quia iſta que fiunt per ar-
tem demonis preter viam nature non sunt diuturna · & tantuꝫ
de iſta concluſione ·

Ad teraiam questionem qua queritur · vtrum cristus post resurrectionem vere commedent incorporando sibi cibum sic proceditur et videtur · qꝫ cristus post resurrectionem vere comederit cibum sibi incorporando · ¶ Primo sic · dicit enim Augustmus · libro · lxxxiij · questionum · Si fallit veritas non est · vnde nulla fictio decet cristum qui est veritas · esset autem fictio si non vere cibum incorporaret quē ipse comedere videbatur · vere ergo comedit incorporando sibi cibum · ¶ Secundo sic · si non fuit vera comestio non videtur argumentum sufficiens ostensiuum veritatis humane nature · sed fuit · ergo vera comestio fuit incorporando sibi cibum · ¶ Tercio sic · Si non fuit cibus sumptus corpori incorporatus · queritur quid fit factum de illo · ¶ In oppositum arguitur ex eo qꝫ Damascenꝰ dicit in tercio libro · qꝫ cristus & si gustauit cibum post resurrectionem sed non lege nature sed dispensationis · modum & veritatem credere faciens resurrectionis · quia hec eadem caro est que passa est & que resurrexit · Rño dicendum · qꝫ aliquid dicitur esse verum dupliciter · Vno modo veritate sigmificationis · Alio modo veritate naturalis speciei · Sicut vox est vera veritate sigmificationis quando sigmificat quod est · Veritas autem naturalis speciei dependet ex principijs speciei · non autem ex effectibus vel ex his que quocunqꝫ modo consequuntur · Vnde vox dicitur vera veritate naturalis speciei quādo formatur debitis mstrumentis & ex ore animalis profertur cum quadam imagmatione · & etiam si a nullo audiatur quod est effectus sermonis consequens vocem Leguntur enim in scripturis sicut in superioribus dictum est absqꝫ necessitate & angelos comedisse & cristum post resurrectionem · & vtraqꝫ commestio fuit vera · vt Augustmus dicit · xiij · de ciuitate dei · aliter tamen & aliter · In angelis enim fuit vera veritate sigmificationis · quia vt Augustmus ibidem dicit · angeli commederunt non quia indigebant · sed quia volebant & poterant · vt hominibus quadam sui misterij humanitate ꝯgruerēt · In xp̄o aūt fuit vera comestio veritate naturalis speciei · fuit em̄ exercita naturalibo instrumētis ad hūc actū

ordinatis. & etiam fuit vera veritate significationis. quia significabat veritatem humane nature in corpore resurgente. q̄ autem cibus conuertatur in corpus est quid consequens commestionem. vnde esset in nobis si cibus non conuertatur sed statim per vomitum eiciatur. mhilominus vera fuit commestio que precessit. non autem conueniebat vt in corpus christi cibus conuerteretur quod iam erat extra statum generationis & corruptionis. et sic patet responsio ad primam rationem in oppositum. ¶ Ad secundam respondetur negando consequentiam. Pro quo nota iuxta Albertum super Lucā q̄ sicut dicit Ambrosius. duplex est manducatio & vtraq; veritatis nature demonstratiua. vna quidem indigentie que cibum sumptum sibi incorporat & ex eo accipit confortationem. & hec est animalis corporis. Alia autem est pure potestatis & nullius infirmitatis demonstratiua. & hec cibum sumit sed digerendo eum sibi non incorporat. sed potestate nature consumit & in pristinam conuertit materiam. sicut radius consumit aquam. et hac potestate christus manducaut post resurrectionem. hec autem potestas non est nisi vere carnis corporibus. & non in fantasiis nigromanticorum. vnde ab ista sicut firmissimo sue resurrectionis argumento processit christus. Ex istis patet responsio ad terciam quid sit factum de illo cibo ꝛc.

¶ In octauis pasche est euāgeliū. In illo tpe. Cum sero esset die illo ꝛc. Jo. xx. Circa q̄ ꝑnt disputari sequētes questiones. ¶ Primo vtrum conueniens fuerit vt christus post resurrectionem cum discipulis continue conuersaretur. ¶ Secundo vtrū xp̄s intrauerit ad discipulos clausis ianuis. ¶ Tercio vtrum Thomas cicatrices christi tetigerit vel tantum viderit.

AD primam questionem sic proceditur. & videtur fuisse conueniens q̄ christus post resurrectionem suam continue cum discipulis conuersaretur. ¶ Primo sic. ad hoc enim christus post resurrectionez discipulis apparuit vt eos de fide resurrectionis certificaret et consolationē pturbatis

afferret · sm illud · Jo · xx · Gamsi sunt apostoli viso domino · sed magis fuissent certificati & consolati si eis continue suam presentiam exhibuisset · ergo videtur fuisse conueniens vt cõtinue cum eis conuersaretur · ¶ Secundo sic · cristus resurgens a mortuis non statim ascendit in celum sed post quadraginta dies · vt habetur Act · i · Illo autem tempore intermedio in nullo alio loco potuit conuenientius esse q̃ vbi discipuli ei? erant congregati · ergo videtur conueniens q̃ cum eis cõtinue conuersatus fuisset · ¶ Tercio sic · ipso die resurrectionis dominice xp̃s apparuisse legitur quinquies · vt Aug? · dicit de consensu euangelistarum · Primo quidem mulieribus ad monumentum · Secundo eisdem regredientibus a monumento in itinere · Tercio Petro · Quarto duobus euntibus in castellum Quinto pluribus in iherusalem vbi non erat Thomas · ergo videtur q̃ etiam alijs diebus ante ascensionem debuerit pluries alijs apparere · ¶ In oppositum est euãgelium presens vbi dicitur · post dies octo apparuit discipulis · nõ ergo continue conuersabatur cum eis · Rño dicendum sub ista conclusione · q̃ conueniens fuit vt cristus conuersaretur post resurrectionẽ continue cum discipulis suis · que conclusio declaratur sic · sm Tho · in tercia parte · q · lv · ar · iij · circa resurrectiõem cristi duo erant declaranda discipulis · scilicet ipsa veritas resurrectionis & gloria resurgentis · Ad veritatem autem resurrectionis manifestandam sufficit q̃ pluries eis apparuit & cum eis familiariter locutus est · & comedit & bibit · & se eis palpandum prebuit · Ad gloriam autem resurrectionis sue manifestandaz noluit continue conuersari cum eis sicut prius fecerat · ne videretur ad talem vitam resurrexisse qualem prius habuerat · vnde Lu · vltimo dicit eis · Hec sunt verba que locutus sum ad vos cum adhuc essem vobiscum · Tunc quidem cum eis fuerat non solum corporali presentia sed etiam per similitudinez mortalitatis · Vnde Beda supra dicta verba exponens dicit · Cum adhuc vobiscum essem in carne mortali in qua estis & vos · tunc quidem in eadem carne resuscitatus erat · sed cum illis in eadem mortalitate non erat et cetera · ¶ Ad rationes in

oppositum · Ad primam respondetur negando ꝯsequñaz · et ratio est · quia frequens apparitio cristi sufficiebat ad certificandum discipulos de veritate resurrectionis · conuersatio autē cōtinua eos potuisset inducere in errorem si ad similem vitam eū resurrexisse crederent quam prius habuerat · consolationem autem de continua sui presentia eis in alia vita promisit · ꝓm illud Jo · xv · Iterum videbo vos & gaudebit cor vestrum · & gaudium vestrum nemo tollet a vobis · ¶ Ad secundam respondetur negando consequentiaz · & ratio est · qm cristus nō ideo continue conuersatus est cum discipulis quia reputaret se alibi conuenientius esse · sed quia hoc discipulis instruendis conuenientius iudicabat si non continue conuersaretur cum eis ratione predicta · incognitum est autem quibus in locis in medio tempore corporaliter esset · cum hoc scriptura non tradat nisi ꝙ in omni loco sit dominatio eius · ¶ Ad terciam respondetur negando consequentiā · & ratio est · quia ideo prima die frequentius apparuit · quia per plura indicia erant admonēdi vt a principio fidem resurrectionis reciperent · post q̄z autem eam receperant nō oportebat eos iam certificatos tam frequētibus apparitionibus instrui · Vnde in euangelio non legitur ꝙ post primam diem eis apparuit nisi quinquies · vt enim dicit Augustinus de consensu euangelistarum · Post quinq̄z primas apparitiōes sexto apparuit vbi vidit eum Thomas · Septimo ad mare tyberiadis in captione piscium · Octauo in mōte galilee · Nono recumbentibus · quia iam non erant in terra cum eo conuiuaturi · Et decimo in ipso die ascensionis · non iam in terra sed eleuatum in nube cum in celum ascēderet · sed non omnia ista scripta sunt sicut Jo · fatetur · crebra enim erat eius cum illis conuersatio priusq̄z ascendisset in celum · & hoc ad consolationem eorum · Vnde etiam prima Corin · xv · dicitur · ꝙ visus est plusq̄z quingentis fratribus simul · deinde visus est Jacobo · De quibus apparitionibus in euangelio non habetur mentio ·

Ad secundaz · q · sic ꝓceditur · & videtur ꝙ cristus non intrauit ianuis clausis ad discipulos ¶ Primo sic · duo

corpora non possunt esse simul in eodem loco · ergo xps nō intrauit ianuis clausis · cōsequentia est bona · quia si intrasset corpus cristi fuisset simul in eodem loco cum corpore portarum · assumptum probatur sic · locus proportionaliter respōdet locato · sed non potest etiam per miraculum fieri qꝫ idem corpus sit simul in diuersis locis nisi per aliquam conuersationem · sicut accidit in sacramento altaris · ergo nullo modo potest etiam per miraculum fieri qꝫ duo corpora sint in eodem loco ·

AD secundam · q · sic proceditur et videtur q̄ non cōuenienter spiritus sanctus missus est super apostolos in linguis igneis · ¶ Primo sic · Quanto aliquid nobilius est tanto nobiliores proprietates habet · sed melioribus p̄ prietatibus creatura nobilius diuinam bonitatem representat Ergo cum missio visibilis sit ad manifestandū diuinas personas · videtur q̄ semper per creaturas nobilissimas fieri debz · vt per stellam vel aliquid huiusmōi · & non per ignem vel columbam · ¶ Secūdo sic · Spiritui veritatis nō decet aliqua fictio · sed spūs sanctus est spūs veritatis · vt dicit Jo · xv · ergo nō decet q̄ per aliquas species quibz non subsit rei veritas apparere debuit · & ita videtur q̄ lingue ignee vere lingue & vere ignis fuerit · q̄d nō est verū · qua nō cōburebat peracto illo officio · & idez arguit de colūba in qua apparuit sup xp̄m q̄ vere animal fuerit & tamen non fuit · ergo ꝛc · ¶ Tercio sic · Spūs sanctus vnus est · sed signum debet respōdere signato · ergo videt q̄ in vno tm̄ signo spūs sanctus apparere debuit · scilicz in specie columbe sicut prius et nō in linguis igneis · ¶ In oppositum est epistola p̄sentis diei vbi dicit de spiritu sancto · Apparuerunt illis dispertite lingue tanq̄ ignis seditq̄ super singulos eorum · R̄ño dicendum q̄ cōuenientissime spiritus sanctus missus est super apostolos m linguis igneis · Pro quo notandū sm Tho · in primo scripto dis · xvi · ar · iij · q̄ missio visibilis fit ad significandū plenitudinē gr̄e redundātis m multos propter q̄d manifestatio talis alijs etiā fit · Redūdat aūt gratia dupliciter · scilicet per instructionem & per operationez · sm q̄ se habet aliquo modo ille in quo est gratie plenitudo efficienter ad gratiam · vterq̄ autem modus redundātie fuit m xp̄o Ille em̄ per doctrinam suam in dei cognitionem adduxit · ipse etiam gratiam dedit inq̄tum deus effectiue · & inq̄tum homo

per modum meriti· Vnde ad signficandum redundãtiam gratie ipius in nos per modum operationis facta est missio visibilis ad ipsum in baptismo· quia sicut ipse nihil accipiẽs a baptismo tactu siue mũdissime carnis vim regenerativam contulit aquis efficienter vt deꝰ· & meritorie vt homo· & in specie columbe est facta ad ipsum missio spiritus sancti· ad signficandum spũalem fecũditatẽ· quia columba aial fecundissimũ est· ꝓpter quod etiam pater apparuit in sono vocis naturalem filiationem ipius ꝓtestans· dicẽs· Hic est filius meꝰ dilectꝰ ꝛc· Ad cuius filiationis similitudinem per baptismalem gratiam in filios adoptionis regeneramur· vt dicit̃ ad Ro· viij· Ad signficandum vero redũdantiã gratie ex ipo in alios per modũ doctrine apparuit spiritus sanctus super ipsum in nube lucida cuius est lumen doctrine spargere· Job. xxxvij· Nubes spargit lumẽ in quo signficat̃ effectus doctrine eiꝰ ꝑ predicatiõez ſm Greg· & hoc in transfiguratione· vt dicit̃ Math· xvij· ſm glo· Augꝰ· similit̃ & in aplis bis facta ẽ missio visibilis spũs sancti· Primo ad insinuandã redũdantiã gr̃e ex ipis ꝑ modũ opationis in admĩstrationem sacramentoꝝ in specie flatus· vt legit̃ Jo· xx· vnde ibi dicitur· Quorum remiseritis peccata ꝛc· vt ostenderet̃ ꝙ talis auctoritas non deuenit in eos nisi ex influẽtia capitis· s· xp̃i· in ip̃m aũt xp̃m deuenit imediate ab ipo patre· & ꝓpter hoc in ipo signficatur hec auctoritas per volatum columbe desuper aduenientis· in aplis aũt per spẽm flatus a xp̃o procedentis· Secõ facta est ad eos missio visibilis ad insinuandum redundantiam per modum doctrine· & hoc ī presenti die· Vñ legitur Act· ij· Apparuit super eos in linguis igneis verbis vt essent proflui & caritate feruidi zelantes ꝓximorum salutem· ¶ Ad rationes in oppo· Ad primam respondetur negando cõsequentiaz & ratio est· quia cũmis in nobilioribus creaturis similitudo diuine perfectionis quo ad attributa essentialia magis muemiatur tamen quo ad exitum vnius pſone ab alia· & quantum ad modum processionis donorum a deo et effectus ipsoruz· potest etiam in ignobilioribus creaturis similitudo cõuentior attendi sicut fecũditas in columba·

& locutio in lingua · & hoc oportuit p missionem visibilem si
gnificari · ¶ Ad secundam respōdetur negando q̄ in illa missi
one visibili spūs sancti fuerit aliqua fictio · licet dicat̄ q̄ ignis
ille nec fuerit verus nec naturalis · nec columba verum et natu
rale animal sed tm̄ similitudo columbe visibiliter ostēsa in ali
qua materia ad hoc preparata · vñ & pacto officio in pristinā
materiaz est reuersa · & similiter de igne · nec fuit ibi aliqua fi-
ctio · quia ille similitudines ignis aut columbe non ostendebā
tur ad manifestandū alicuius veritatem in ipsa columba siue
igne · sed ad manifestandas proprietates inuisibilis missionis ·
& ideo nō fuit ibi falsitas signi · quia signatum respondebat si
gno & res similitudini · ¶ Ad terciā respōdetur negando ɔse
qn̄tiam · et ratio est · quia licet spiritus sanctus sit vn⁹ substā
cialiter · habet tamen multos effect⁹ s̄m quos dicit̄ multiplex
Sapie · vij · Species autem ille in quibus spiritus sanct⁹ ap
paruit significabant effectus · & ideo s̄m plures species appa-
ruit & pluries · & ita ratio non procedit ·

Ad terciam · q · sic proceditur et videtur q̄ spiritus san
ctus non docuit in missiōe sua apostolos oīa · ¶ Pri-
mo sic · Apostoli post missionem spiritus sancti nō sci
uerunt omnia · ergo spiritus sanctus non docuit eos omnia ·
consequentia patet · & antecedens patet de multis · vt habetur
Math · xvij · ¶ Secundo sic · apostolis nō est datus spirit⁹ san
ctus sine mensura sicut xp̄o · de quo dicitur Jo · iij · Datus ē spi
ritus nō ad mensuram · ergo non sciuerūt omnia · consequentia
est bona · ¶ Tercio sic · propriū videtur dei scire omnia cui oīa
patent · ergo spiritus sanctus non docuit apostolos omīa · tūc
enim videretur eos equasse deo · ¶ In oppositū est text⁹ euā-
gelij pn̄tis · Rn̄o dicendū q̄ loquendo vniuersaliter absolute
spūs sanctus non docuit ap̄los omīa · vt argumenta facta p̄-
bant · sed dicit̄ eos docuisse oīa s̄m quadruplicem intellectuz ·
Primo dicitur spiritus sanct⁹ docuisse omnia · quia null⁹ po-
test habere intelligentiā de aliquo nisi per spiritum sanctuz · q̄
quātūcūq̄ homo doceat̄ exteri⁹ nisi spūs sanct⁹ interi⁹ det in-
telligentiam frustra laborat · Job · xxxij · Inspiratio altissimi

dat intelligentiam. ¶ Secundo dicitur docuisse omnia. quia omnia necessaria ad salutem ad impugnationem errorū & ad gubernationem ecclesie. ¶ Tercio dicit docuisse apostolos omia. dando eis intelligentiam omnium que audierunt a xpo. a quo audierant multa que pro tunc non intellexerūt. ¶ Quarto dicit docuisse omia. quia vt mstra sequitur suggessit eis oia. i. reduxit ad memoriā omia quecūqz a xpo audierant quorum multa oblitī erant. nec poterant memorie cōmēdare. ¶ Quomodo eīm euāngelista Johānes post. lx. annos potuisset omniū verborum xpi q̄ in euangelio scripsit in memoria habere nisi spiritus scūs ei suggessisset. ¶ Ad rōnes in oppo. ptz rnsio ex dictis.

¶ In die sancte trinitatis legit euangeliū In illo tpe. Erat homo ex phariseis ꝛc. Jo. iij. Circa qđ disputatū est i festo sancte crucis. ¶ Sed circa ipam festivitatem possūt hec disputari. ¶ Primo vtrum sit ponendus numerus personarum in diuinis. ¶ Secundo vtrum ratione naturali possit cognosci pluralitas personarum in diuinis. ¶ Tercio vtrum hoc nomen de? pluraliter predicetur de tribus personis vt dicantur tres dij.

AD primam sic pcedit & videt q̄ in diuinis numer? personaꝝ non sit ponēdus. ¶ Primo sic. dicit Boeci? libro de trinitate. hoc vere vnū est in quo nullus est numerus. sed deus est verissime vnus. ergo in eo non est aliquis numerus. ¶ Secundo sic. dicit Yſidor? q̄ numer? dicit quasi nudus muneris. i. diuisionis. sed in deo nulla est diuisio. ergo nec aliquis numer?. ¶ Tercio sic. persona est rationalis nature indiuidua substantia. si ergo in diuinis sunt plures personе sequitur q̄ sint plures substantie. qđ videtur hereticum. ¶ Quarto sic. pluralitas ꝓprietatū absolutaꝝ non facit distinctionē personaꝝ neqz in deo neqz in nobis. ergo multo minus pluralitas rationū faciet distinctionē psonaꝝ. ergo nō pōt dici q̄ distinctionē psonarū neqz in deo nec in nobis. ergo multo min? in deo sint plures psone. ¶ In oppo. est illđ qđ habet i. Jo. vltio. Tres sūt qui testimoniū dāt in celo. pater verbū

& spiritus sanctus. Item Athanasius ait in symbolo. Alia est persona patris alia filij alia spiritus sancti. Rñō dicēdum sub ista conclusione. q̄ in diuinis s̄m fidem catholicam est confitēdus numerus personarum realiter distinctarum. Ista conclusio patet sic. vbicunq; est distinctio vel discretio ibi est aliquis numerus. sed diuine persone sunt distincte ab inuicem quoniam alia est p̄sona p̄ris alia filij alia spiritus sancti. ergo in diuinis est numerus personarum. Pro cuius intelligentia est notandum iuxta sanctum Tho. q̄ sicut ratio vnitatis consistit in indiuisione. ita etiam ratio numeri vel multitudinis consistit in diuisione vel distinctione aliqua. Vnde ea que inuenimus diuersa simpliciter dicimus esse multa simpliciter. et que inuenimus diuersa s̄m quid. dicimus esse multa s̄m quid. Diuisio autem simpliciter attenditur vel s̄m essentiaz siue formam. vel s̄m quantitatem siue materiā. Vnde ea que differunt s̄m essentiam dicimus esse multa. vt hominem & lapidem. & similiter duas partes linee iam diuise dicimus duas lineas. Diuisio autem s̄m quid est que attenditur s̄m proprietates rei. sicut dicimus hominez album esse alium & distinctum a se nigro. & adhūc magis s̄m quid in illis in quibus attendit̄ diuersitas relationū s̄m rationem tm̄. sicut punctus si diceretur multiplex s̄m q̄ est principium plurium linearum. Sciēdum est igitur q̄ in diuinis non est numerus simplex qui est per diuisionem essentie vel quantitatis. s̄ est numerus quidā. s. numerus relationum non tamen existentiū in deo s̄m rationem tm̄ sed realiter in ipso subsistentium. Vnde numerus diuinarum personarum est medius inter numerū qui est numerus simpliciter & inter numerum qui est in ratione tm̄. sicut punctus dicitur multiplex s̄m rationem tm̄. est enim minus de ratione numeri in numero personarum q̄ in numero simpliciter. & plus q̄ in numero qui est s̄m rationem tm̄. Si autem comparemus numerum personarum ad numerum proprietatum absolutarum qui est in creaturis. habebūt se sicut excedentia & excessa. Si em̄ attendatur ratio distinctionis inuenitur maior distinctio in p̄prietatibus absolutis creaturarum quam in diuinis personis.

quia calor & sapor distinguuntur fm aliud & aliud esse accidẽ tale · sed in diuinis personis est vnum & idem esse trium psonarum · Si aũt cõsideretur pfectio diuinorum · sic numer9 psonarum excedit · quia relationes in diuinis sunt subsistentes persone · vnde ad numerũ relationũ sequit̃ numerus personaꝝ nõ autem ad numerum ꝓprietatum ī creaturis · quia non sunt subsistentes sed tm̃ inherentes · ¶ Nunc dicendũ ad rõnes in oppositum · Ad primã rndet̃ · qꝫ Boecius loquitur de vnitate essenciali · vnde in essentiã nullus numerus cadit sed tm̃ in personis · qui etiam non est numerus absolute sed numer9 quidã · ¶ Ad secundam respõdetur negando cõsequentiã · & ratio est · quia q̃uis diuisio non sit proprie in deo · est tamen ibi personarum distinctio que sufficit ad rationem talis numeri qualis ponitur in deo · ¶ Ad terciã respõdetur negando cõseqñtiam · et ratio est · quia substantia nõ ponit̃ in diffinitione psone fm qꝫ signat essentiã · sed fm qꝫ signat suppositum · quod patz ex hoc qꝫ additur in diuidua · ad significandũ autem substantiam sic dictam habent greci nomen ypostasis · vnde sicut nos dicimus tres personas · ita ipi dicunt tres ypostases · Nos autem non consueũmus dicere tres substantias ne intelligerent̃ tres essentie propter nonimis equiuocationem · ¶ Ad quartam respondetur negando cõseqñtiaz · et ratio est · quia ꝓprietates absolute in diuinis vt bonitas & sapientia non opponuntur ad inuicem · vnde nec realiter distinguuntur · q̃uis ergo eas cõueniat subsistere · tamẽ nõ sunt plures res subsistentes quod est esse plures personas · proprietates autem absolute in reb9 creatis non subsistunt licet realiter distinguant̃ · vt albedo et dulcedo · sed proprietates relatiue in deo & subsistunt & realit̃ ad inuicem distinguuntur · vnde pluralitas talium proprietatum sufficit ad pluralitatem personarum in diuinis

HO secundaz · q · sic ꝓceditur & videtur qꝫ naturali ratione cognosci possit pluralitas psonaꝝ in diuinis ·

Primo sic · dicit enim Aristotiles in primcipio celi et mũdi · per hunc numerum · s · trinarium adhibuim9 nos ipos magnificare deum vnum eminentem proprietatibus eorum que

creata sunt· ergo videt̄ q̄ Aristotiles in cognitionem trinitatis venerit· ¶ Secundo sic· dicit Aug⁹· vij· confessi· se legisse in libris platonicorum non quidē his verbis sed hoc idem omnino multis & multiplicibus persuadere rationibus· q̄ in p̄ncipio erat verbum & verbum erat apud deū & deus erat verbum· & huiusmodi que ibi sequuntur· in quibus verbis distinctio personaruz traditur· ergo videtur q̄ philozophi naturali ratione cognouerunt trinitatem personarum diuinaꝝ· ¶ Tercio sic· dicit glo· Ro· i· q̄ magi pharaonis defecerūt ī tercio signo .i· in noticia tercie p̄sone· s· sp̄us sancti· & sic ad min⁹ duas p̄sonas cognouerūt· ¶ Quarto sic· dicit Termigistus· monas gignit monadem & in se suū reflectit ardorē· per qd̄ videtur generatio filij & sp̄us sancti processio intimari· ergo cognitio diuinaꝝ personaꝝ potest p̄ rationē naturalē haberi· ¶ Qn̄to sic· philozophi potuerūt deuenire ī cognitionē eoꝝ q̄ in creaturis relucēt· ꝫ in aīa impressā est similitudo trinitatis p̄sonarum· ergo videt̄ q̄ p̄ potentias aīe quas philozophi multū ꝯsiderauerūt potuerūt in cognitionē trinitatis deuenire· ¶ In oppo· est illud ad Hebr̄· xi· Fides est substantia rerū sperādaꝝ argumentum non apparentiū· sed deum esse trinū & vnum est articulus fidei· ergo est non apparens rationi· Item dicit Hylari⁹ libro de trinitate· Non potest homo sua intelligentia generationis secretum posse consequi· Item Ambro· dicit· Impossibile est generationis scire secretū· mens deficit· vox filet· sed per originem generationis et processionis distinguitur trinitas in diuinis· ergo homo per rationem naturalem nō potest venire in noticiam trinitatis· Rn̄o dicēdum· q̄ impossibile est per rationem naturalem ad cognitionem trinitatis diuinarum personarum peruenire· Probatur ista conclusio· naturalis ratio non cognoscit deum nisi ex creaturis· creature autem ducūt in dei cognitionē sicut effectus in causaz· hoc igit̄ solū in ratione naturali de deo cognosci potest quod cōpetere ei necesse est ꝫm q̄ est omniū entium principium· virt⁹ autem creatiua est dei & communis toti trinitati· vnde pertinet ad vnitatem essentie & non ad distinctionem personarum· per rationem ergo

Ein substantz d hoffunden
[illegible]
d [illegible]

naturalem cognosci possunt de deo ea que pertinent ad vnita
tem essentie non ad distinctionem psonarū. Qui autem proba-
re nititur trinitatem personaꝝ naturali ratione fidei dupliciter
derogat. vt dicit sanctus Tho. in prima parte. q. xxxij. ar. i.
Primo quidem q̄tum ad dignitatem fidei. que est vt sit de re-
bus visibilibus que rationem humanā excedūt. ad Hebr. xi.
Fides ꝛc. allegatum est. Secundo q̄tum ad vtilitatem trahē-
di aliquos ad fidem. cum em̄ aliquis ad probandum fidem in
ducit rationes que non sunt cogentes. cedit in derisionem in
fidelium. credunt em̄ ꝙ huiusmōi rationibus innitamur & ꝓ-
pter eas credamus. Ea igitur que fidei sunt non sunt defendē
do probanda nisi per auctoritates his qui auctoritates suscipi
unt. apud alios vero sufficit defendere. nō esse impossibile qd̄
predicat fides. vnde Dyonisi⁹ dicit secūdo capitulo de di. no.
Si aliquis est qui totaliter eloquijs resistat longe erit a philo
sophia nostra. si autem ad veritatem eloquiorum scilicet sacro
rum respicit hoc & nos canone vtemur. ¶ Ad rōnes in oppo
situm. Ad primā rn̄det̄ negando ɔseqn̄tiam. & ratio est. quia
philosophi non cognouerūt misterium personarum diuinaꝝ.
per propria que sunt paternitas. filiatio & processio. ſm illd̄
apl̄i. i. Corin. ij. Loquim̄ dei sapientiā quā nemo principum
hui⁹ seculi cognouit. i. phīoꝝ. ſm glo. cognouerūt tamē que
dam essentialia attributa que appropriantur diuinis personis
sicut potentia appropriatur patri. sapientia filio. bonitas spiri
tui sancto. ꝙ ergo Aristotiles dicit. ꝑ hunc numeꝝ trinarium
non est sic intelligendū ꝙ ipse poneret trinariū numerum in di
uinis. sed vult dicere ꝙ antiqui vtebantur numero trinario in
sacrificijs & orationibus per quādam trinarij numeri perfecti
onem. que in omnibus creaturis apparet sicut in principio me
dio & fine. ¶ Ad scd̄am respondet̄ negando ɔseqn̄tiaꝫ. et ra-
tio est. Tum primo. vel quia plato multa dicit̄ legisse ī libris
diuinis quos reperit in egipto & inde aliqua cognouisse. Tū
scd̄o ꝙ verbum nō inuenit̄ in libris platonicoꝝ ſm ꝙ verbum
nomīat ꝑsonā genitā in diuinis. sed ſm ꝙ verbū intelligit̄ ra-
tio ydealis ꝑ quā deus oīa condidit que filio appropriat̄. que

dicitur mundus architipus. ¶ Ad terciam respondetur negā do ɔseqn̄tiaz. & ratio est. quia philozophi non puenerūt in co gnitionē diuinaꝝ psonaꝝ q̄tū ad ꝓpria. ꝫ solū q̄tū ad ꝓpri ata non inq̄tum ad appropriata sunt. quia sic eoꝝ cognitio de penderet ex ꝓprijs. sed inq̄tum sunt attributa diuine nature. Et si obiciatur ꝙ similiter deuenerunt in cognitionem bonita tis que appropriatur spiritui sancto. sicut in cognitionem po tentie & sapientie que appropriantur patri & filio. dicendum ꝙ bonitatem non cognouerunt q̄tum ad potissimum effectuz ipsius. s. incarnationem & redemptionem. sed euanuerūt in co gitationibus suis. vel quia non tantum intenderunt veneratio ni bonitatis diuine quā etiā non imitabātur. sicut venerati sūt potentiam & sapientiam. ¶ Ad quartam respondetur negan do consequentiā. & ratio est. quia dictum Termigisti non est referendum ad generationem filij vel processionem spiritꝰ san cti. sed ad productionem mūdi. nam vnus deus ꝓduxit mun dum vnum propter sui ipsius amorem. ¶ Ad quintam respō detur etiaz negando ɔseqn̄az. & ratio est. quia sicut similitudo trinitatis relucens in anima est omnino imperfecta & deficiēs sed dicitur expressa per comparationem ad similitudinem ve stigij. & ideo non potest ducere in cognitionem perfectam tri nitatis diuinarum personarum.

AD terciam questionem sic procedit̄ et videtur. ꝙ no men deꝰ pluraliter debeat predicari de tribus ꝑsonis vt tres persone sint tres dij. ¶ Primo sic. Gen. i. vbi dicitur. In principio creauit deus celum & terram. habet ve ritas hebrayca eloym. quod potest interpretari dij siue iudices & hoc dicitur propter pluralitatem personarum. ergo tres ꝑ sone sunt plures dij & non vnus. ¶ Secundo sic. sicut homo significat̄ vt habens humanitatē. ita deus significatur vt ha bens deitatē. sed tres persone sūt tres habentes deitatē. ergo tres ꝑsone sūt tres dij. ¶ Tercio sic. hoc nomē res cū absolu te dicat̄ videt̄ ad substantiā pertinere. sed hoc nomē. s. res plu raliter dicit̄ de tribus ꝑsonis. dicit em̄ Augꝰ. libro de doctri na xp̄iana. Res quibo fruendū est sunt pater & filius & sp̄us

sanctus·ergo pariter hoc nomen deus & alia nomina essentialia potuerūt pluraliter predicari de diuinis psonis·vt dicant tres dñi aut tres omipotentes aut tres domini· ¶ In oppositū est illud Deutro·vj·Audi israhel dominus deus tuus vn? est Rño dicendum·q? hoc nomen deus nō pluraliter sed singulariter dicit? & predicat? de tribus psonis·sm illud Athanasij· Deus pater deus filius deus spūs sanct?·nō tres dñi sed vn? est de?·Pro quo notandū q? nominū essentialiū quedā significant essentiā substantiue·quedam vero adiectiue·Ea quidez q? substantiue essentiā significant nō predicantur in plurali de tribus personis·cuius ratio est quia nomina substantiua significāt aliquid per modū substantie·noīa vero adiectiua significāt per modum accidentis quod inheret substātie·substātia autē sicut per se habet esse ita per se habet vnitatem vel multitudinem·vnde & singularitas vel pluritas nominis substantiui attenditur sm formam significatam per nomen·accidentia autem sicut habent esse in subiecto ita & ex subiecto recipiunt vnitatem vel multitudinem·& ideo in adiectiuis singularitas vel pluralitas attenditur sm suppositā·In creaturis autem non reperitur vna forma in pluribus suppositis nisi vnitate ordīs vt forma multitudinis ordinate·vnde nomina significantia talē formam si sunt substantiua predicantur de pluribus in singulari non autem si fuerint adiectiua·Dicimus enim q? plures homines sunt collegium vel exercitus aut populus·dicimus tamē q? plures homines sunt collegiati· In diuinis autem essentia diuina significatur per modum forme·que quidez simplex est & maxime vna·vnde nomina significantia diuinam essentiam substantiue singulariter & non pluraliter dicuntur de tribus personis·Hec est igitur ratio quare sortem & platonem & ciceronem dicimus tres homines·patrem autem & filium et spiritum sanctum non dicim? tres deos sed vnum deum·quia in tribus suppositis humane nature sunt tres humanitates·in tribus autem personis est vna essentia· Que vero significant diuinam essentiam adiectiue pluraliter predicantur de tribus personis propter pluralitatem suppositorum· Dicimus enim

enim·tres existentes·vel tres sapientes·aut tres eternos·aut tres increatos & immensos·si adiective sumantur·si vero substantive sumantur·dicimus vnum increatum·immensum & eternum·vt Athanasius dicit· ¶ Ad rationes in oppositum· Ad primā respondet negando consequntiam·& ratio est·quia diuerse lingue habent diuersum modum loquendi·vnde sicut greci propter pluralitatem suppositorum dicunt tres ypostases·ita & in hebrayco dicitur pluraliter heloym· Nos aūt nō dicimus pluraliter nec deos nec substantias·ne pluralitas ad essentiam referatur· ¶ Ad secundam respondetur negando consequentiam·& ratio est·quia licet deus significet habentē deitatem·est tamen alius modus significandi·nam deus dicitur substantiue·sed habens deitatem dicitur adiective·vnde licz sint tres habentes deitatem·non tamen sequitur ꝙ sint tres dij· ¶ Ad tertiam respondetur negando consequnaz·& ratio est quia hoc nomen res est de transcendentibus·vnde fm ꝙ pertinet ad relationem pluraliter predicatur in diuinis·si vero fm ꝙ pertinet ad substantiam predicatur singulariter·vñ Aug⁹· ibidem dicit·ꝙ eadem trinitas quedam summa res est·

¶ Dñica prima post trinitatē est euangelium In illo tpe dixit Jhūs discipulis suis·Homo quidam erat diues ꝛc·Lu·xvi· Circa hunc diuitē damnatū pnt disputari sequētes qstiones· ¶ Pria vtz aia sepata possit ab igne corporeo cruciari· ¶ Secunda vtrum anime damnatorum videant gloriam beatorū· ¶ Tercia vtz damnati vellens oēs alios esse damnatos·

Ad primam·q·sic proceditur & videt ꝙ anima separata nō possit ab igne corporeo cruciari· ¶ Primo sic· agens semper nobilius est passo·vt dicit Aug⁹· sup Gen·ad litteram & Aristotiles·ij·de anima·sed impossibile est esse aliquid corporeum nobilius anima separata·ergo nō potest ab aliquo corpore pati siue cruciari· ¶ Secō sic·fm philozophum·i·de generatione·& fm Boecū libro de duabo naturis·illa solū agūt et patiūt ad inuicē q̄ in materia cōmunicāt·

sed anima & igns corporeus non communicant in materia· quia spiritualium & corporaliū nō est materia cōmunis· ergo aīa separata non potest pati aut cruciari ab igne corporeo· ¶ Tercio sic· Omne quod patitur recipit aliquid ab agēte· si ergo aīa patiatur ab igne corporeo aliquid ab eo recipiet· ꝫ omne quod recipitur in aliquo· est in eo per modum recipientis· ergo quod recipitur ab igne in anima non est in eo materialit sed spiritualiter· sed forme rerum in aīa spiritualiter existētes sunt perfectiones ipsius· ergo etiam si ponātur ꝙ aīa patiatur ab igne corporeo hoc non erit in eius penam sed magis in ei⁹ perfectionem· ¶ Quarto sic· Omne agens corporeū agit p cōtactum· sed non potest esse aliquis contactus aīe & igns corpora· quia cum contactus sit solū inter corpora que habent vltima simul· ergo anima ab igne corporeo non patitur· ¶ Cōtra sic· Agens corporeū nō agit in remota nisi p hoc ꝙ agit in media· sed aīe & demones quādoqz fiūt extra locū inferni cum qñqz in hoc mundo appareant hominibus· nec tamen sunt immunes a pena· & tamen videmus ꝙ omia intermedia ab igne inferni non patiātur· ergo videtur ꝙ aīe dampnatorum penas quas sustinent non patiantur ab igne corporeo· ¶ In oppo· est euangelium presens in quo ait dues dampnat⁹· crucior in hac flamma· Rño dicendū sub ista ꝺcusione· ꝙ aīa separata potest pati ab igne corporeo & cruciari ab eo· Ista ꝺcusio probat primo sic· ſm Tho· in· iiij· dis· xliij· q· ij· ar· ij· Cadez est ratio de aīabus separatis et de demonibus qui ab igne corporeo pati possunt· sed demones patiuntur ab igne corporeo in quē corpora dampnatorum post resurrectionem proicientur· vt patet ex euangelio Math· xxv· Ite in ignem eternum qui paratus est diabolo & angelis eius· ergo et anime separate ab igne corporeo pati possunt· Vnde Greg· in· libro dialogorū dicit· Si diabol⁹ & eius angeli cum sint incorporei corporeo igne sunt cruciandi quid mirum & si anime antēqz recipiant corpora possint igne corporeo cruciari· quasi diceret· non est mirum· Secundo sic· pena debet respondere culpe· sed anima per culpam corpori se subiecit per prauam cōcupiscentiam· ergo iustū

est vt in penaz rei corporee subiciatur per passionem·vnde firmiter tenendum est·qꝫ anima separata pati affligi & cruciari possit ab igne corporeo·Sed circa modum quo pati possit diuersi diuersa dixerunt·que omnia enarrare esset longū·& ideo tm̄modo assignabimus modum quem sanctus Tho·in·iij·dixliij·ponit·q·iij·ar·ij· dicit enim sic·qꝫ corpus in spiritū naturaliter agere non potest nec ei aliquo modo obesse vel ipsum grauare·msi fm qꝫ aliquo modo corpori vnitur·sic enim inuenimus qꝫ corpus quod corrumpitur aggrauat animam· Sapientie·ix·Spiritus autē corpori vnitur dupliciter· Vno modo vt forma materie & vt ex eis fiat vnum simpliciter· & sic spiritus vnit9 corpori & viuificat corpus & a corpore aliqualiter aggrauatur·sic autem spiritus demonis vel hominis igni corporeo non vnitur· Alio modo vnitur spiritus corpori sicut mouens mobili· vel sicut locatum loco eo modo quo incorporalia sunt in loco·& fm hoc spiritus incorporei creati loco diffiniuntur·ita qꝫ in vno loco existentes qꝫ non in alio·q̄uis autem res corporea ex sua natura habeat qꝫ spiritū m corpalez loco diffiniat·non tamen habet ex sua natura qꝫ spiritum mcorporeū loco diffinitum detineat· vt ita alligetur tali loco qꝫ ad alia diuertere non possit·cum spiritus non ita sit in loco naturaliter qꝫ loco subdatur· sed hoc superadditur igni corporeo ī q̄tum est instrumentū diuine iusticie vindicantis qꝫ sic detineat spiritū·& ita efficitur ei penalis retardās eum ab executiōe propie voluntatis·ne scilicet possit operari vbi voluerit et fm quod voluerit· Et hunc modum ponit Greg·in·iij·dialogoꝝ Exponens enim quomodo anima incendium experiendo patiatur·sic dicit·Dū veritas peccatorem diuitem dampnatū in igne perhibet·quis nam sapiens reproborum animas teneri ignibo neget·& Aug9·etiam·xxi·de ciuitate dei dicit·qꝫ sicut anima in hominis conditione iungitur corpori & dat ei vitam· q̄uis illud sit spirituale & hoc corporale· & ex illa diuūctiōe cōapit amorem ad corpus·sic ligatur igni vt accipiens ab eo penam· et ex illa cōiūctioone vehementer cōcipit horrorem ac propter hoc & dolorē·Dicam9 ergo sequēdo p̄dictos modos sanctoꝝ

q̄ ignis ſm ſuam naturaz habet q̄ ſpiritus incorporeus ei cō
iungi poſſit vt loco locatum · ſed inq̄tum eſt inſtrumentū di-
uine iuſticie habet vt ipſum quodāmodo retineat alligatum ·
& in hoc veraciter ignis ille eſt ſpiritui noxius · & ſic aīa igneꝫ
ibi vt noxiuū videns ab igne cruciatur · vnde Greg · in · iiij · di-
alogorum · omnia iſta per ordinem tangit · ¶ Ad rōnes in op
poſitū · Ad primam reſpondetur · q̄ licet aīa ſit ſimpliciter no
bilior igne · ignis tamen eſt ſm quid aīa nobilior · inq̄tum eſt
inſtrumentum diuine iuſticie · ¶ Ad ſecundam rn̄det negādo
conſeqn̄az · & ad probationē rn̄det · q̄ phūs & Boeciꝰ loquūt
de illa actione per quā paciēs trāſmutat in naturam agentis ·
talis autē actio non eſt ignis in animā & ꝓpter hoc ratio non
procedit · ¶ Ad terciā rn̄detur negando conſeqn̄am · & ratio eſt ·
quia aſſumptum eſt verū de eo qō patit ab agente per modū
influentie · ignis autem in animā non agit per modum influē
tis ſed per modum detinentis · vt ex dictis patet · & ideo ratio
non eſt ad propoſitum · ¶ Ad quartam reſpondetur negando
conſeqn̄az · & ratio eſt · quia licet non ſit aliquis cōtactus corpo
ralis inter animam & corpus · eſt tamen inter eos aliquis cō-
tactus ſpiritualis · ſicut etiam motor celi cum ſit ſpūalis ſpiri-
tuali contactu tangit celum ipſum mouēs per motum quo di
citur contriſtans tangere · ſicut dicitur in primo de celo · et hic
modus ſufficit ad actionem · ¶ Ad quintā reſpondet · q̄ ſpi-
ritus dampnati nunq̄ eſt extra infernū · niſi ex diſpēſatione di
uina vel ad inſtructionē vel ad exerciciū electorꝫ · Quandocūq;
aūt extra infernū ſunt ſemper tamen vident ignem infernī vt
eis in penam preparatū · vnde cum iſta viſio ſit immediate af-
fligens vbicūq; ſunt ab igne inferni affligūtur · ſicut & capti
ui extra carcerem exiſtentes a carcere quodāmō affligūtur dū
vident ſe ad carcerem dampnatos · vnde ſicut gloria electorum
in nullo minuitur · nec q̄tum ad premium eſſentiale · nec q̄tuꝫ
ad accidentale · ſi aliquando extra celū empirreū ſint qui quodā
modo in eorum gloriam cedit · ita etiam in nullo minuitur pe
na dampnatorum ſi extra infernum ex diſpenſatione diuina
ad tempus ponantur . & hoc eſt quod dicit gloſa ſuper illud ·

Jacobi·iij·Inflammat rotam ꝛc·diabol⁹ vbicūq; sit siue sub aere siue sub terra secum fert tormenta suarum flāmarum·obiectio autem procedit ac si ignis corporeus affligeret spirit⁹ immediate·sicut affligit corpora·

AD secundam questionem sic proceditur·& videtur ꝙ dampnati non videant gloriam beatorum·¶Primo sic·magis distat ab eis gloria beatorum ꝙ ea que ī hoc mundo aguntur·sed ipsi non vident ea que circa nos agunt· vt dicit Greg·in moralibus·xij·libro·ergo multo minus possunt videre gloriam beatorum·¶Secundo sic·Id quod cōceditur in presenti vita pro magno munere nunq; conceditur dampnatis·sed Paulo pro magno munere est cōcessum vt videret vitam illam qua beati eternaliter ī deo viuunt·vt dicit·ij·Corim·ij·m glo·ergo dampnati sanctorum gloriam non vident·¶Tercio sic·Consideratio pene immittit terrorem sicut consideratio glorie generat gaudium·sed m malis nullum erit gaudium·ergo non videbūt gloriam sanctorum·¶In oppositum est euangeliū presens vbi dicitur·ꝙ diues in tormentis positus vidit Abrahā & Lazarum in sinu eius·Rño dicēdū fm Tho·ī·iiij·dis·l·q·ij·ar·ij·ꝙ dampnati ante diem iudicij videbunt beatos in gloria non hoc modo ꝙ gloria eorum qualis sit cognoscant·sed solummodo cognoscent eos esse in gloria inextimabili & ex hoc turbabuntur·Tum propter inuidiam volentes de felicitate beatorum·Tū propter hoc quia ipi talem gloriam amiserūt·Sapiē·v·dicitur de impijs·Videntes turbabuntur timore terribili·sed post diem iudicij omnino visione beatorum priuabūtur·nec tamē ex hoc eorum pena minuetur sed augebitur·quia memoriam habebunt glorie beatorum quam in iudicio viderunt·vel etiaz ante iudicium·& hoc erit eis in tormentum·sed vlterius affligentur ex hoc ꝙ videbunt se indignos reputari etiam videre gloriam quam sancti merentur videre ¶Ad rationes in oppositum·Ad primam respondetur negando cōsequentiaz·& ratio est·qua nō est simile de vno & de alio·quia ea que in hac vita aguntur non ita affligerent dampnatos ī inferno si viderent sicut gloria inspecta

beatorum· vnde non ita ostēduntᷣ dampnatis eā que hic agū-
tur· sicut iustorum gloria q̄uis etiam eorum que hic aguntur
ostenduntur eis q̄nq; ea que in eis tristiciam augere possunt·
¶ Ad scd̄am respōdetur negādo ɔseqñaz· et ratio est· quia nō
est simile· Paulus inspexit vitam illaz qua sancti cum deo vi-
uunt eam experiendo et in futurum perfectius sperādo· qd̄ non
est de dampnatis· & ideo non est simile· ¶ Ad terciam rn̄detᷣ
negādo ɔñam· & ratio est· quia vt dicit dn̄s Bonauentura su-
per illud· Letabitᷣ iustus cum viderit vindictam ꝛc· Cōsidera-
tio beatorū non consistit in pena· quia afflictiua· sed fertur vl
terius· quia iuste & optime & digne inflicta· & talis conside-
ratio amanti iusticiam generat gaudium· Similiter nec consi-
deratio malorum ɔsistit in bono glorie· quia bonum· sed quia
perditum· et hec consideratio generat dolorem· & ita dampna-
ti affliguntur & dolent videntes gloriam beatorum·

AD terciam questionem sic proceditur & videtur q̄ dā
pnati non vellent omēs alios esse dampnatos· ¶ Pri
mo sic· ex euangelio presenti vbi diues dampnatꝰ ro
gabat pro fratribus ne venirent in locum tormentorum· ergo
cum dampnati habeant multos consanguineos mallent eos
esse beatos q̄ condempnatos· ¶ Secundo sic· affectiones in-
ordinate in inferno a dampnatis nō aufferuntᷣ· sed aliqui dam
pnati inordinate dilexerunt suos nō dampnatos· ergo nō vel
lent eorū malum quod est eos esse dampnatos ¶ Tercio sic·
dampnati non desiderāt augmentum sue pene· ꝫ si plures dā-
pnarentur maior esset dampnatorum pena· sicut etiam multi-
plicatio beatorum amplificat eorum gaudium· ergo dampna-
ti nollent omēs alios dampnari· ¶ In oppositum est illd̄ qd̄
dicitur Ysa· xiiij· super illud· Surrexerūt de solijs· dicit glo·
Solaciū est malorū habere socios penaꝝ· Rn̄o dicēdū· q̄ dā-
pnati vellent oēs bonos esse dāpnatos· Ista ɔclusio ptz· tū qꝛ
in dāpnatis maxīe vigz inuidia· ergo dolēt de felicitate bonorū
et eoꝝ dāpnatiōez appetūt· Scd̄o sic ꝑm Tho· i· iiij· di· l· q· ii·
ar· i· sic̄ in btīs in p̄ria ē ꝑfectissima caritas· ita ī dāpnatis erit
ꝑfectissimū odium· vn̄ sicut sancti gaudebūt de omībꝰ bonis·

ita etiam mali de omnibus bonis dolebunt· vnde felicitas sanctorum considerata eos maxime affligit· Vnde dicitur Ysa· xxvi· Videant & cōfundantur gloriantes populi & ignis hostes tuos deuoret· vnde patet q̄ vellent omēs bonos esse dāpnatos· ¶ Ad rationes in oppositum· Ad primam respōdet negando cōsequēz·& ad auctoritatem inductaz dicendū est· q̄ non dixit hec dives ex caritate cum nullā haberet· sed ex timore seruili ne ex eorum cōsortio eius pena augeretur· Est tamē notandum q̄ licet tanta sit inuidia in dampnatis· q̄ etiam p̄ propinquorum glorie inuideant cum ipsi sunt in summa miseria· tamen minus inuident propinquis q̄z alijs· quia maior esset pena si omnes p̄pmqui dampnarent̄ & alij saluarentur· q̄z si alii qui de suis p̄pinquis saluarentur· & ex hoc fuit q̄ dives ille dampnatus petit fratres suos a dāpnatione eripi· sciebat em̄ q̄ aliqui aliorū eriperentur maluisset tamen fratres suos cum omnibus alijs dampnari· ¶ Ad secundam rn̄det̄ negādo cōsequētiaz· Pro quo nota· q̄ dilectio que nō fundatur super honestum facile rescinditur & precipue in malis hominibus· vt dicitur· ix· ethi· vñ dampnati nō seruabūt amicitiaz ad eos quos inordinate dilexerūt· sed in hoc volūtas eorum remanebit peruersa q̄ causam inordinate dilectiōis adhuc diligent ¶ Ad terciam rn̄detur negando cōsequētiaz· & ratio est· quia licet ex dāpnatorū multitudīe pena singulorū augeat̄· tn̄ tātū superexcrescit odiū & inuidia q̄ magis eligent torq̄ri cū multis q̄ min9 soli·

¶ In dominica scda est euāgeliū· Homo quidā fecit cenā magnam ꝛc· Lu· xiiij· Circa quod possunt disputari sequentes· q· ¶ Prima vtrum cena beatitudīs sanctis preparata consistat in bonis corporis· ¶ Secūda vtrum occupatio & sollicitudo rerū tpaliū hoīem excludat a cena eterne beatitudīs· ¶ Tercia vtrum homīes peccatores sint compellendi bonum facere·

AD primā· q· sic proceditur· & videt̄ q̄ cena btītudīs sanctis preparata cōsistat ī bonis corporis ¶ Primo sic· Quod a pluribo dicit̄ ipossibile est esse salū totaliter·

vt commētator dicit · iij · de anima · & phūs · vij · ethi · ꝙ opinio non perdit̄ quā populi multi famāt · sed maior hominū multitudo inclinatur ad querendū delectationes corporales & corporalia bona quasi finem · ergo finis humane vite in corporalibus bonis consistit · finem humane vite dicimꝰ beatitudīez · ergo beatitudo in bonis corporis querenda est · ¶ Scdo sic · q̄to aliqd̄ bonum est cōmūius tanto est diuinius · vt patz · i · ethi · sed bonū corporale cōmunius est q̄ spirituale · quia corporale etiā ad bruta aīalia se extēdit non autem spiritualia · ergo corporale bonum spūali p̄eminet · ergo talia bona sensibilia venient in beatitudīe offerenda beatis · ¶ Tercio sic · homo ex aīa & corpore cōstituit̄ · ergo bonum homīs debz esse cōmune aīe & corpori · sed bonum spūale non potest esse cōmune corpori · bonum aūt corporale potest esse cōmūe aīe inq̄tum aīa de corporalibus delectat̄ · ergo cena beatitudīs magis consistit ī bonis corporalibus q̄ spiritualibꝰ · ¶ Quarto sic · Cum btītudo teste Boecio sit statꝰ oim̄ bonoꝝ aggregatione pfectꝰ · ī cena beatitudīs nullū oblectamentū ibi deficiet · ergo in ea delectationes sensibiles & bona sensibilia erunt · al's non videret̄ perfecta & plena beatitudo · ¶ In oppositum arguitur sic · beatitudo est summū bonum homīs · ergo ī precipuis bonis homīs est querenda & ponenda · sed bona aīe sunt nobiliora q̄ bona corporis · sicut & aīa corpore nobilior est · ergo cena beatitudinis eterne preparata sanctis in bonis spiritualibus consistit · Rn̄o dicendum · error fuit stulti machometi qui posuit felicitatem & beatitudinem futuram in corporalibus delectationibus ciborum & potuum et venereorum · qui error non solum apud cristiane religionis cultores · sed etiam apud gentiles philozophos qui beatitudinem nouerūt in operibus intellectiue partes consistere iudicatur bestialis · vitam huiusmodi voluptuosam non hominum sed pecudum esse asserentes · vt patet · i · ethicorum · Vnde vt hunc errorem ostendamus reprobum et stultum · Arguitur sic · Primo ex presenti euāgelio · dicit̄ enim ꝙ cena erit magna · id est de magnis et preciosis rebus et excellentissimis · Vnde de ea dicitur illud Ysa · lxiiij · Oculus nō

vidit nec auris audiuit nec in cor hominis ascēdit que prepa rauit deꝰ diligentibus se·sed bona aīe & bona spiritualia sūt maiora bona q̄ sensibilia bona·sic ergo cena future beatitudi nis cōsistit in gustu bonorū spūalium & nō sensibilium·Vnde cena illa dicit magna·quia mextimabilis· Gen̄·xv·Ego mer ces tua magna nimis & mterminabilis·Baruc·iij·O israbel q̄ magna est domus domini & ingens locus possessionis eiꝰ· ideo exterminari nō potest·quia taꝫ cibus q̄ ille qui ministrat deus est & summū bonum·ps̄·Inebriabunt ab vbertate do mus tue & torrente voluptatis tue potabis eos·Secundo ar guitur sic·sm Tho·in·iij·dis·xlix·q·i·ar·i·Cum beatitudo sit naturaliter ab omnibus hoībus desiderata nominat vltimū hu mane vite finem·finis aūt cuiuslibet rei vel est operatio ppria· vel per operationem propriam ad finem venit·cū autez forma propria sit in qualibet re operatiōis ppie principium·forma autem ppria hominis in q̄tum est homo sit ratiōalis aīa·opor tet q̄ vel in ipis actibus rōnalis aīe beatitudo consistat·vel ī his ad que homo per actus ratiōalis aīe cōpatur·hec autez bona aīe dicūtur·vnde necesse est beatitudinem ponere in bonis aīe etiam sm phos·q̄ autem aliqui vt epicuri & machometus in bonis corporis beatitudiem posuerūt ex hoc prouenit·q̄ seip sos quid essent ignorabāt·nō em cognoscebāt se sm illd qd ē in eis melius qd eoꝝ esse formaliter cōplet·s illd qd de eis exte riꝰ apparet·& sm hoc btitudiem suā in bonis exterioribꝰ po suerūt·Multis alijs rōnibus reprobatum? hunc errorē in tra ctatu nostro contra machometum nunc breuiter ista sufficiunt· ¶Ad rationes in oppositū·Ad primam rndetur negando cō sequētiaz·& ratio est·quia multoꝝ opinionem nō est necesse esse veram simpliciter s sm partez·multitudo aūt hominū in boni corporis beatitudiem ponentiū q̄tum ad hoc veram opinionem habet·q̄ illud quod optimū sibi estimant hoc suā beatitudiez esse putāt·& q̄tum ad hoc eorum opio vera est·s·q̄ optimū homis est beatitudo· nō autem oportet q̄ sit vera q̄tū ad hoc q̄ ponant eam in bonum corporis·quia hec opio procedit ex falsa radice·quia·s·existimant se esse principaliter id quod sunt

ſm corpora. ¶ Ad ſcdam reſpondetur negãdo ɔſeqñaz. et ratio eſt. quia dupliciter aliquid dicitur eſſe cõmune. vnomodo per predicationẽ. huiuſmodi aũt cõmune non eſt aliquid idez numero in diuerſis repertũ. & hoc modo habet bonum corpis cõmunitatẽ. Aliomodo eſt aliquid cõmune per participatiõez vnius & eiuſdẽ rei ſm numerꝝ. & hoc mõ bonũ cõmunius eſt diuinius. & hec cõmũitas maxime poteſt in his que ad aĩam pertinent inueniri. quia per ipm attingit ad id quod eſt cõmune bonum omibo rebus. ſ. deũ. & ideo procedit. ¶ Ad terciam reſpondetur negando ɔſeqñtiaz. & ratio eſt. quia licz homo ex aĩa & corpore conſiſtat. tñ eſſe ex aĩa & non ex corpore habz. vñ etiam beatitudo homĩs pñcipaliter & originaliter in bonis aĩe conſiſtit. Sicut em̃ corpus eſt ꝓpter aĩam ſicut ꝓpt finẽ. & materia ꝓpter formam. vt patz. ij. de aĩa. ita bona corporis ordinant in aĩe bona vt in finem. vnde in bonis corporis beatitudo pñcipaliter conſiſtere non poteſt. ¶ Ad quartam rñdetur negando conſequentiã. & ratio eſt. quia cum vera beatitudo homĩs q̃ ſperatur in alia vita cõueniat homini ſm illud qd nobiliſſimũ eſt in eo qd eſt intellectus & reſpectu nobiliſſimi obiecti qd eſt ipe deus. delectationes q̃ ad beatitudinẽ ꝑtinẽt non ſenſibiles que cõmunes ſunt porcis & azinis aliiſqz aĩalibus brutis dicẽde ſunt ſ ſpũales. in quibus cõmũicam⁹ cum angelis. vñ delectatiões ſenſibiles q̃s ponit machomet⁹ nõ ꝑtinẽt ad beatitudinẽ hoĩs. immo nec btitudo vera ſuſtinet huiuſmõi delicias ſ abſtrahit ab eis. vñ argumẽtũ ei⁹ nullũ eſt.

AD ſecundã. q. qua querit vtrũ occupatio & ſollicitudo rerum temporaliũ homĩez excludat a cena eterne beatitudĩs. & videtur ꝙ nõ. ¶ Primo ſic. ſollicitudo rerum tpaliũ eſt licita. ergo ꝛc. ɔña eſt bona. añs ꝓbat ſic. ad p̃ſidentẽ em̃ pertinet ſollicitũ eſſe de his quibus p̃eſt. ſm illud Ro. xij. Qui p̃eſt in ſollicitudĩe. ſ homo p̃eſt ex diuina ordĩatione rebo tpalibus. ſm illud ps̃. Oĩa ſubiecisti ſub pedibo eius oues & boues ꝛc. ergo hõ cũ debeat habere ſollicitudĩez de rebus tpalibo nõ debz proinde priuari eterna btitudĩe. ¶ Scdo ſic. Null⁹ priuat eterna btitudĩe faciẽdo ea qbo ſua ſuſtẽtent.

maxime dicente dño. In sudore vultus tui vesceris pane tuo. Gen. i. & Prou. vi. Vade ad formicā o piger & cōsidera vias eius & discе vias eius. que cum non habeat ducem nec protectorem parat in estate cibū sibi & cōgregat in messe qđ comedat in hyeme. ꝫ homo necesse habet esse sollicitum circa tpalia vt sustentet vitam suam. ſm aplum. ij. Thes. iij. Qui non vult operari non manducat. ergo ꝛc. ¶ Tercio sic. Sollicitudo temporaliū qñqz pertinet ad opera misericordie. puta cū sollicitudinē habet ad ꝓcurādum negocia pupillorꝫ & pauperū. vnde ad Hebr. vi. dicit aplus. Cupimus vnūquēqz vrm eandem oñtare sollicitudinē. ergo sollicitudo & occupatio tpaliū non excludit quenqz a beatitudie. ¶ In oppositū est euangelium pns vbi dicit de illis qui ꝓpter occupationes terrenorū se excusabant. qđ nemo illorum virorum qui vocati sunt gustabunt cenam meaz. Rño dicendum qđ dupliciter aliquis potest occupari circa terrena. Vno modo non tanqz circa finem vltimum & pncipalia bona. sed sicut circa organa & instrumēta perueniendi ad consequēdū & pregustandū bona spiritualia. Et tunc est conclusio. qđ cū talis sollicitudo et occupatio sit licita maxime cum homo non apponit tantū studiū ad tpalia ꝓ curanda. qđ ꝓpter hoc homo a spūalibus quibus principalit inseruire debet retrahatur. non excludit hominem a beatitudine. Patet conclusio. quia talis licita est & sine peccato. Secūdo aliquis occupatur circa temporalia tanqz circa finē et tanqz precipua bona. & de tali sollicitudme & occupatione est talis conclusio. qđ est illicita & non excusat a peccato. et excludit a regno siue beatitudme dei. Patet conclusio. quia nihil est diligendum tanqz finis nisi trinitas personarum. & ideo saluator noster in presenti euāgelio excusantes se de emptione ville & probatione boum et de traductione vxoris noluit excusatos habere. s. dicens. dico vobis qđ nemo virorum illorum qui vocati sunt gustabunt cenam meam. Per illum qui villā emit intelliguntur vt dicit Aug⁹. occupati circa honores et diuicias. vt superbi qui volunt alijs dominari. Per iuga boum intelliguntur nimium occupati circa terrena et per cupiditatē finez

suum ibi constituentes vt auari. Per eum qui vxorem duxit in telliguntur carnales & lasciui occupati circa luxuriam & voluptates. Ad ista tria vicia reducunt omnia excludentia a beatitudine celesti. sm q dicitur. i. Johis. ij. Omne qd est in mūdo aut est concupiscentia carnis. aut concupiscentia oculorum aut superbia vite. ¶ Ad rationes in oppositum. Ad primam rndetur q ratio procedit de sollicitudine licita. temporalia em bona subiecta sunt homini vt eis vtatur ad necessitatem. non vt in eis finem constituat & superflue circa ea sollicitetur. & talis non excludit a beatitudine celesti. ¶ Ad secūdam respōdet eodem modo. quia sollicitudo eius qui corporali labore panem acquirit non est superflua sed moderata. Et ideo Jeronimus dicit. Labor exercendus est sollicitudo tollenda. scilicet animum inquietans. & talis etiam nō excludit. ¶ Ad terciam respondentur. q etiam sollicitudo temporalium in operibus misericordie cum ordinetur ad fines caritatis licita est nisi sit superflua. & ideo etiam talis non excludit a regno dei.

AD terciaz. q. sic pceditur & videtur q infideles non sint compellendi ad fidem ¶ Primo sic. dicitur Math. xiij. q serui patrissamilias dixerunt ei in cuius agro erant zyzania seminata. vis ibimus & colligemus ea. & ipse respondit minime. ne forte colligentes zyzania eradicetis cuz eis simul & triticum. vbi dicit Crisos. hoc dixit dominus prohibens occasiones fieri. cum ergo sine occisionis periculo infideles non possint compelli videtur q non sint compellendi. ¶ Scdo sic. In decretis dis. xlv. dicit sic de iudeis. Precipit sancta sinodus nemini deinceps ad credendū vim inferre. ergo pari ratione nec alij infideles sunt ad fidem cogendi. ¶ Tercio sic. dicit Aug9. q cetera potest homo nolens. credere vero nisi volens. s voluntas cogi non potest. ergo infedeles nō sūt cogendi ad fidem. ¶ In oppositum est euangeliū presens vbi dicitur. Exi in vias & sepes compelle intrare vt impleat domus mea. s hoīes intrāt in domū dei. i. ecclīaz p fidē. ergo aliq sunt cōpellendi ad fidem. Rño dicēdum sm Tho. scda scde. q. x. ar. viij. q infidelium quidam sunt qui nunqz receperunt

fidem ſicut gentiles & iudei·& de talibus concluſio eſt·q̄ nul
lo modo compellendi ſunt ad fidem vt ipſi credant·Ratio eſt·
quia credere voluntatis eſt·¶ Secunda concluſio·infideles pre
dicti licet non ſint compellendi vt credant·tamen ſunt compel
lendi a fidelibus ſi facultas aſſit vt fidem non impediant·vel
blaſphemijs vel malis perſuaſionibus vel etiam apertis perſe-
cutionibus·Et m̄de eſt q̄ propter hoc fideles x̄pi contra in-
fideles bellum mouent·non quidem q̄ eos ad credendum co
gant·quia etiam ſi eos vicíſſent & captiuos haberent·in eor̄
libertate relinquerentur an credere vellent·ſed propter hoc vt
eos compellant ne fidem x̄pi impediant· ¶ Aliq̄ em̄ ſunt infide-
les qui quandoq̄ fidem ſuſceperunt et eam profitent̄·ſicut he-
retici vel quicūq̄ apoſtate·& de talibus eſt tercia concluſio·
q̄ tales etiam corporaliter ſunt compellendi vt impleant q̄d̄
promiſerunt & teneant quod ſemel ſuſceperunt· ¶ Ad ratio-
nes in oppo· Ad primā reſpondetur negando conſeq̄ntiaz·& ad
auctoritatem reſpondet̄ q̄ ita intelligit̄ vt dicit Aug⁹· cōtra
epiſtolam Permīniani·q̄ quādo metus iſte non fuberat & quā
do ita cuiuſcūq̄ crimen notum eſt & omnibus execrabile ap-
paret·& vt vel nullos prorſus vel non tales habent defenſo-
res per quos poſſet ſciſma contingere nō dormiat ſeueritas di
ſcipline· ¶ Ad ſcdam reſpōdetur concedendo ſi nullo modo fi
dem receperunt· ¶ Ad terciam reſpondet̄ negādo conſeq̄ntiaz·
et ratio eſt·quia ſicut vouere eſt volūtatis & reddere neceſſi-
tatis·ita acc̄pere fidem eſt volūtatis ſed tenere iam acceptam
eſt neceſſitatis·et ideo hereticí ſunt compellendi vt fidem tenę
ant·Si obiciat̄ q̄ Paulus fuerit compulſus ad credendū cum
eſſet iudeus·Dicit enim Aug⁹ ad Bonifacium comitem· Vbi
eſt quod ipſi clamare conſueuerunt liberum eſt credere vel nō
credere·cuí x̄ps vim intulit·i·cognoſcant in Paulo prius co-
gente x̄pm & poſtea docētem·rñdetur q̄ x̄ps non coegit Pau
lum credere·ita vt inuit⁹ crederet·ſed coegit eū & cōpulit ne
fidem & eccleſiā x̄pi perſequeretur ſicut faciebat·Vñ ipe viſo
miraculo volūtarie ſe obtulit ad faciendū quicquid ei x̄ps p̄ce-
peret·vñ ait·Dñe quid me vis facere voluntarie ſe offerēs ad

omnem obedientiã · Et dñs ad eum · Ingredere in ciuitatẽ & tibi dicẽt quid te oporteat facere · & ibi doct⁹ fuit a xpo p spiritũ sanctũ de oĩbus ad fidẽ ptinẽtibꝰ & predicationẽ ipius ·

¶ In dominica tercia legit euãgeliũ · Erant appropinquãtes ad Jhesum publicani ꝛc · Lu · xi · Circa qd̃ pñt disputari se · q · ¶ Prima vtz angeli gaudeãt de pctoribus penitẽtiam agentibus · ¶ Secda vtz angelus plus gaudeat de vno pctore agẽte penitẽtiã q̃z de nonagintanouẽ iustis qui nõ egẽt penitẽtia ·

